




31 7
10-C


6
34 D
34



DE DESTILLATIONE

SIVE DE STILLATITIORVM LIQVORVM,

QVI AD MEDICINAM FACIVNT, methodo, atq; uirèbus:

HIERONYMI RVBEI RAVENN.

LIBER.

In quo Chemicæ artis veritas, ratione, & experimento comprobatur.



QVARTA EDITIONE AB AVCTORE recognitus, ac multis locis locupletatus.

CVM PRIVILEGIIS.






VENETIIS,

Apud Ioannem Baptistam Ciottum Senensem. 1604.

SERENISSIMO FRANCISCO MEDICEO, HETRVRIAE MAGNO DVCI &c.



Hieronymus Rubeus, felicitatem D.

SCRIBENTI mihi, & in manus hominum, Librum hunc de Destillatione, Typographorum prœlo, emmittenti, iure tuæ Celsitudini, Serenissimo, & Magne Dux, natus, atque ob id tuo inscribendus nomini, semper uisus est: Ita enim accuratè, eo perpetuo, feliciqúe cursu, maiores tui literarum omnia quidem studia, sed hanc potissimum artis stillatitiæ partem, coluerunt, ac euexerunt, vt nemo non uir doctus, Mediceam familiam, pulcherrimorum omnium studiorum parentem propè, & altricem professus fuerit, Reliqua taceam, quod non faciant ad propositum sermonem; de Medicina loquar: quæ cum ob Grecarum literarum ignorationem, in maximis tenebris, sūmo humanæ salutis, vitæque incommodo, squaleret, nemo est qui nesciat, Mediceorum maximè opera; qui Gręcam nobis linguam, accitis in Italiam Gręcis hominibus eruditissimis, mirifice propagarunt; reuixisse, pristinumque recepisse candorem. Cum autem omnis Medicinæ pars nobilis necessariaque est; quæ ut Magnus inquit Au-

relius Cassiodorus, in homine plus inueniet, quam in se ipse agnoscit, & tibi nos nititur subleuare, vbi nullæ diuitiæ, nulla potest humana dignitas subuenire; Tum vero quæ stillatitiorum liquorum rationem tractat, ea, dignitate, vtilitate, iucunditate facile præstat omnibus; In qua excellere, est inter præstantes eminere; quam excolere, summo est homines cumulare beneficio. In hac, artis cum natura ludentis, ac potius, vt Zeno dicere consueuerat, naturæ artificiose ambulantis, miracula conspici iucundissime à nobis possunt; dum uarij; ex aridissimis quandoque rebus; destillantis humoris, halituumque colores prodeunt, perinde ac riparum vestitus viridissimi, ac prata floribus distincta, cælumque ipsum versicolore, sub auroram, facie: præterquam quod hinc quandoque late diffusam planiciem, quandoque montes in ipsis vasibus, videre videmur: sępę liquores perlucidos amnium, sæpe lacus, sæpe fontes: species etiam sese nobilis obijcitur frugum, species arborum, quæ & fructus fetant; Aquarum preterea inductionibus, terris quandam quasi fœcunditatem damus, sicut artis ope, in rerum natura, fere alteram naturam efficere videamur. Quo quid, in his caducis rebus, humano potest ingenio iucundius accidere? Quamobrem non est mirum, si eam excoluerint nobiliora hominum ingenia; si ea uel remotissimis gentibus placuit. Constat enim, etiam apud huius orbis extremos, Indos orientales, hanc artem diligenter excoli, quippe qui è Palmę, seu Nucis Indicę, incisis ramis liquorem effluentem, quem Suram appellant, aquæ ardentis more destillent, refertque stillatitius hic liquor, aquam ardentem,

tem sic, vt madens ea pannus, ardeat, ceterisque sit ardentis aquæ qualitatibus præditus. Huius ope artis, ea, quæ naturæ humanæ inimica ab ipsa vniuersitatis natura, constituta sunt, adeo inter se conciliantur, vt maximè iuuent uideaturque ob id aliquo modo ab arte natura, aut superari, aut mutari. Quid enim ut unum ex innumeris referam, chalcantho magis aduersum naturæ hominis est? nam uomitum ciet, & Galenus, penitus illi contrarium scribit, eaq; ratione improbat stomachiaca quædam remedia, quæ minime omnium, inter reliquas corporis partes stomachum, ob præcellentem sensum, ferre asserit, ac potius magno pere affligere, etiam si quidpiam cum alijs, stomacho alioqui commodis, pharmacis, mixtum, præbeatur: stillatitium tamen eius oleum, hac arte paratum, non solum minime stomaco nocet, uerum mirificè illum iuuat, egregiè roborat, languentemq. ac penè mortuum cibi appetitum excitat, arcet humorum putredinem, efficitq. alia sanè plura, quæ maximam huius artis stillatitiæ præstantiam optimè patefaciunt. Quamquam autem eam, veteres Græcos Philosophos nouisse nequaquam puto, non iuerim tamen inficias, quin magnus ille Aristoteles, naturæ monstrum, qua fuit ingenij magnitudine, olfecerit, cum aquam ardentem significare uideatur, de mari in Meteoris scribens, atque uinum, & omnes humores, quicunq. cùm in uaporem mutati, iterum in humidum consistunt, aquam fieri. Quod uerò id etiam ex problematum libro nonnulli patere existiment, non est forsan absq; magna dubitatione: licet enim, docens ibi Aristoteles, mare deuri posse, quia salsum, atq. ob id oleo

sum;

sum; cum è sale oleum depromatur; uideatur Destillationem tetigisse, quòd dicant; oleum è sale non nisi Destillatione extrahi posse, id tamen non omnes fortè concederent, dicerentq. educi è sale oleum, quia uel ab eo resudet ui ignis, sponteùe; quod paullò inferius uidetur innuere: uel quia bitumen, natura, inde fere emanet: affirmat. n. Galenus, bitumen ex ijs unum esse, quæ in acqua marina proueniunt, & in alia quapiam, quæ non est marinæ dissimilis: Pliniusq. testatur, id bitumen simile oleo; & illius in lucernis esse usum. Ex hac arte, rerum naturæ quędam ita sese in conspectum dant, ut quin hæc magna sit Philosophiæ naturalis pars, negare nemo planè queat; affirmariq. possit, huius cultores artis, iure Philosophos appellari. In quorum numero, cum maiores tui fuerint, uti dixi, meritò, hac etiam una de causa, ut innumeras, easdemque maximas taceam; beatas se illæ dicere ciuitates, quibus illi imperarunt; potuere: & ne historiam maiorum tuorum texere uelle uidear, de maximò COSMO, Magno Etruriæ Duce, Serenissimo Celsitudinis tuæ patre, dicam; quo quis aut diligentius, ex Italis Principibus, hanc excoluit, aut plura accuratius inuenit? Quem, non solum è summis, nobilibusq. sed; quæ fuit illius singularis humanitas, uel ex infimæ conditionis uiris; dum necessitatem significauerit, præciosa, & mirifica illius stillatitia remedia non iuuarunt? Huic pietati, huic studio; tu, omnium ceterarum paternarum uirtutum acerrimus imitator, cum non desis, ac potius cum diligenter, magnoq. studio in eo insudes, FRANCISCE, itaq. egregiè in illius uestigijs insistas, ut æquare hactenus maximum pa-

trem

trem credaris, in posterum autem eam de te spem excitaris, ut de illa; ne uidear assentari; silendum putem; meritò, quod initiò scripsi, opus hoc de Destillatione, dicandum tibi à me fuit. Consuetudinem tuam etiam, atq. etiam rogatam uelim, hæc ut accipere ne dedignetur: Neque uerò quasi noui quidquam incognitiue tibi afferant: ab hac enim temeritate procul absum: sed quia, ut uerbis vtar Boethij, mei quoq. operis mihi ratio constabit, si quæ ex sapientiæ doctrinis eliciui, sapientissimi iudicio comprobentur, fieriq. idcircò forsan poterit, ut ad hæc rursus diligentius incumbamus. Rauennæ xiiij. Cal. Decembris. MDLXXXI.



IVLLII MORISII RAVENNATIS,
ACADEMICI INNOMINATI PARMEN.

In librum de Destillatione Hieronymi Rubei, Academici item Innominati.

INVISTA, qui ataui tractarunt bellica, dextra;
Illustres animæ. magnanimumq; genus;
Nouere vt RVBEI, medica hæc monimenta, nepotis,
Queis destillantis dogma dat artis, aiunt.
Perge salutari laudes acquirere ab arte,
Restituant Phœbo, Martia tela, uices.
Perge nepos: neque enim fuerit seruaße tacentes
Virtus, Grynæi, quàm Thracis arte, minor.



INDEX EORVM QVAE IN HOC LIBRO CONTINENTVR.





A

Donati

Tartari


FINIS.



Li Eccel. Signori capi dell'Illustr. consiglio di X. infrascritti hauuta fede dalli Sig. riformatori del studio di Padoua per relation delli tre a ciò deputati, cioè del Reuer. Padre Commissario dell'Inquisitione del Circ. secretario del Senato, & di Domino Fabio Paulini lettor publico, che nel libro stampato in Rauenna intitolato Hieronymi Rubei de Destillatione, non ui è cosa contra le leggi, & è degno di stampa, concedono licentia che possi esser stampato in questa città. Dati die 27. Septembris 1599.

D. Carlo Corner.
D. Piero Michiel. } Capi dell'illust. Consi. di X.
D. Marc'Antonio Erizzo.

Secret. Leonardus Otthobonus



HIERONYMI RVBEI RAVENN.

DE DESTILLATIONE.

Sectio Prima.

Quid sit Destillatio, & cur hoc potissimum nominè vocetur. *Cap. I.*



VI aquas, vi ignis ex herbis, rebusq; alijs, elato in sublime halitu eductas, Destillatas appellarunt, easq; hoc modo extrahere, Destillare dixerunt, ij proculdubio miro ingenio homines sapientesq; admodum mihi videntur. Nam rerum naturam optime contemplati sunt, quando earum Destillationũ instar, quas homines patimur, Græcis vulgo καταῤῥους dictas, harum aquarum liquores eliciuntur, Cũ enim humor a capite ad inferiores partes defluit, ad pectus præsertim, catarrhus propriè, id autem est, Destillatio, vocatur, a temperamento cerebri frigidiore, cuius est pituitam coaceruare, vt 2. de partib. animal. cap. 7. Aristot. & 3. de causs. sympt. Galẽnus docet, cap. 1. His accedit capitis situs, in sublimi locati, & inferiorũ partium caliditas, quæ multos in caput halitus expellit. Quod autem ad cerebrum frigidius ascendit, non digeritur, non coquitur, vti Galenus. 3. Aphoris. 12. docet. Coguntur itaq; halitus ipsi, quemadmodum in elembicco, id quod ascendit ad ipsum ex cucurbita, vt verbis vtar Auicennæ, cum de catarrho loquitur. Miro igitur ingenio viri fuere, qui hunc eliciendarum aquarum modum inuenerũt, & appellarunt, naturæ arcana ac mysteria optime imitati. Neq; solum in homine, id autem est, in paruo

mundo, vt illum vocat Aristoteles octauo Physicorum, sed in magno, vbi ex halitibus in sublime ad mediam aeris regionem, calore solis, raptis, eiusq; regionis frigiditate densioribus factis, in aquamq; versis, imbres fiunt. Quam ob rem etiam patet magno iudicio, pileum rostratum, cucurbitæ collo, impositum ab illis fuisse, tum quod longius ibi a calore abest, tum quod plures halitus, facilius, vehementiusq; recipere eo loci potest, quam si in latere fuisset collocatus. Haud secus quam in hominibus capitis situs, plurimùm faciat, ad excipiendos vapores: sic vt ijs, qui destillationibus laborant, quod ad rem hanc attinet, multo vtilius sit, capite inclinato, vt pulcherrimè Auicenna docet, puluinariq; decliui dormire, quam erecto, & sublimi, quod hanc, quæ in elembicco videtur, conformationē, satis confirmat; Facilius enim vti diximus, vehementiusq; ac celerius, rectus, ac sublimis pileus, cucurbitæ impositus, repletur. Idipsum testatur Aristoteles Sectione decima, Probl. 53. dum quærit. Cur animantium, homo maximè soleat sternutare. Quoniam inquit, grauedine etiam maximà tentatur: cuius rei causa est, quod calor, qui circa cor est, sursumq; sua natura effertur, cęteris animantibus in armos se effert: Vnde per refractionem disiectus, partim ceruicē, caputq; petit, partim in spinam, lumbosq; defertur: hæc enim linea recta, iuxtaq. basim sita omnia sunt. Homini uerò, quòd erecta base se in sublime, modo stirpium, attollit, euenit, vt caloris elatio plurima, & vehementissima caput adeat. Quoties itaq; accidit, vt caput humescat, refrigereturq; extrinsecus, amplius quām satis sit, efficitur, vt calor, qui & alimentum habet, & se in partem interiorem contrahit, nimirum crescat, crescens, sese in caput, meatusq; capitis efferat, quo humores prætenues, crudiq; sectantes, implent meatus, destillationesq; faciunt. Cum enim calor directo tramite se ad cerebrum vsq; extulerit, eiq; ipsi impegerit, ad nares reflectitur, eo quoniam meatus illac foras de cerebro pertendant. Ceterorum autem animantium, aues maximè grauedinem sentiunt, quod formam corporis maximè similem hominibus gerunt. Verùm minus, quam homines afficiuntur, quoniam caput magna ex parte deorsum tenent, vt quæ victum abs terra petere soleant. Hæc ibi sparsim Aristoteles, quibus egregiè destillandi modum describere videtur, sic vt hæc ars appositè sit naturæ imitatrix; neq; solum in paruo mundo, sed & in magno, vt diximus. Et licet in ijs quæ diximus de imbri-

bus,

bus, res in eo differant, quod sol calefaciens, superius sit, ignis verò in destillationibus adhibeatur inferius, minima tamen hęc est diuersitas, cum agens immediatum, ipsa scilicet caliditas, vbique tota sit materia diffusa, halitusq; in sublime emittat, pręter quã quod inclusus in terra, etiam ignis, quod præter alios antiquiores philosophos, de uẽtorum causa scribens Aristoteles docet, multos sursum excitat halitus. Est itaq; destillatio, de qua orationem instituimus, liquoris aquei, seu partis humidioris in halitus a calore extenuatio, atq; sublatio, & ob frigiditatem aeris in aquam conuersio. Hanc Græci ab eo quod est stillare, id autẽ est, στάζειν, καταστάγμον dixere. Arabes, quiq; eos sequuti sunt, complures, nonnunquam appellarunt, sublimationem, nomine latiori, quòd in sublime vapores ferantur, sed haud ita fortassis proprio. Nam si chymistas sequamur, aliud operis genus est à destillatione, sublimatio, in qua in altum quidem vapores a rebus siccis tolluntur; sed non ut in aquam degenerent; uerùm ut sicciores, puriores, splendidioresq; fiant, adhaerentq; ad uasis latera & operculum. Neq; enim quòd ad sublimationẽ propriè vocatam pertinet, rostrato pileo opus est, nisi sit colligendi aquã animus, quæ exudauerit. Itaq; vt res a terreis, aqueisq; partibus separentur, sicciores q; fiant, sublimantur; cum destillatio, contra, in aquam, fluentemùe liquorem eas adducat. Ioannes Baptista Montanus ciuis primarius Veronensis, Medicus clarissimus nunquam satis laudatus; qui omnem generationem, & corruptionem fieri per sublimationẽ scribit, libro de Vrinis, suo quodam modo accepisse sublimationem, id autem est destillationẽ, videtur, cum nihil aliud esse vult, quã eductionem humidi a calore, generariq; asserit omnia, cum calor extrahit humidum vtile, calorq; benignus est, sic ut coctione id agat, tunc enim quod educitur humidũ, generationi vtile est; Quod si calor sit acrior, naturæq; minimè consentiat, humidum quòd educitur, est, crudum, cum aereæ, igneæq; partes euolent, relictis aqueis incoctis, ac terreis: sed hæc nisi rectè intelligantur, parere difficultatem possent, cum videamus in aceto, multisq; præterea rebus cum destillantur, vi benigni caloris, aqueas tantùm partes educi, præsertim cum in generatione non separentur partes, sed in corruptione. Huc accedit, quòd generatio, si propriè eam accipiam' cum mutatio sit totius in totum, nullo sensibili manente, vt subiecto, hanc humidi eductionem, quæ tempore agitur, non includat;

cludat; Sin alterationem quoq; intelligamus;ipsamq;coctionē, quæ antecedit, in ipsa coctione non educitur humidum, sed in corruptione,in qua scribit 4.Meteor. Arist.educi humidū vtile, ac naturale a calore naturali exeunte. Quod si opposita fieri opposito modo debent, in generatione & coctione humidum nō educetur, sed inducetur: nam concoctio est a naturali, ac proprio calido perfectio, ex oppositis passiuis, estq; (si accipiamus, ut actū primum indicat) Alexandro, & Olimpiodoro testibus, humidi constantia, nam quod superfuerat humidum vi caloris resolutum est, quod permanet, crassius & constans fit, & sicco permiscetur,non educitur. Sin coctionem, vt actum secundum notat,intelligamus, mutationem dicit,quæ tendit ad eam humidi constantiam, quæ ex calidi actione in oppositas passiuas, producitur, & mixtio in generatione non separatio est. Non me tamen latet,elixationem, ἕψησιν Græcis dictam,concoctionem esse a calore humido, qui insitum mixti humorem a cētro educit ad circunferentiam;cuius signum esse posset,quod quæ vim tractricem validam habent, elixationem citius perficiunt, vt uitri partes, carnibus elixandis interiectæ; vitri præsertim multū exusti, quod siccitate fortius trahit. Illud etiam constat, quæ in animalibus concoctio est, similem esse ἑψήσει seu elixationi; quamquam alimentū quandoq; maturatione & assatione coqui posse non negauerim; sed hæc a destillatione, de qua loquimur, lōge absunt,potiusq,cum coctione,& vt huius scriptores artis aiunt, circulation e,numeranda: non enim accidit hic frigiditas, quæ elatos vapores cogat, & in aquam vertat. Omitto autem quod insignis Medicus,Gentilis Fulginas,explicans Auicennæ caput, de dispositionibus aquæ. Fen. 2.lib. 1.scribit;sublimationē esse, quam nos destillationē appellamus; Destillationem verò, cum per angusta foramina, vt per filtrum, aut arenam in aquis cisternarum aliquid percolamus:Hęc enim procul a vero absunt;quāquam neq; Gentilis ex animi sententia asserere id videtur,ac potius vt locum illum tantum explicet, ita scribere. quod an sit ad mentem Auicennæ, alterius negocij est disputare. Non negauerim tamen, quin si accipiatur latiori significatione destillationis nomen, id verum sit,quod scribit Gentilis: nam destillari dicuntur, non quæ per filtrum solum,aut arenam,vti diximus,stillatim percolantur, sed etiam quæ frigido, humidoq; loco posita liquantur, vt in oleo tartari accidit,myrrhæ,sanguinis draco-

nis,

nis, ammoniaci, & similibus, quæ potius dicendæ sunt aquæ, quam olea. Ceterum quoniam in destillatione sunt multa considerande, ipsa primum destillatio, deinde quæ destillat materies, inde tempus, locus, ignis: item quæ antecedunt destillationem, quæq; consequuntur, erit de ijs omnibus, suis locis sigillatim dicendum. Destillatio.n. multiplex est, & ferè æquiuoca, cũ alia igne fiat, alia absq; igne: & quæ igne, alia per ascensum, ut aiunt, alia per descensum: Quę absque igne alia humectatione, alia per filtrum Materia autem potissimum quadruplex habetur, herbæ, animalia, metalla, liquores: liquorum appellatione ea veniunt, quæ sunt liquidioris substantiæ, siue succus is, siue humor sit, aut excremẽtum, aut quid huiusmodi, veluti sanguis, mel, cera. Tempus ea dabit, quæ & in ipsa destillatione, & ante ipsam, & post ipsam accident, præterea quæ pertinent ad ipsas res: nam, ad res quod attinet, herbæ, flores, fructus, & semina, eo potissimum tẽpore destillanda, quo fuerint assecuta maturitatem, nisi si aliqua oborta necessitas secus postulauerit. Animalia cum fuerint media ætate, nisi secus doceatur, ut in columbis accidit & canibus. In ipsa destillatione, multa consideramus, guttas, ignem, aquam ipsam stillatitiam. In guttis notatur frequentia maior aut minor, eaq; maximam partem aqua censetur optima, cum inter duas guttas puncta decem numerantur. In igne, vt initio sit leuior, inde sensim augeatur: nam hac ratione, & vasa seruantur melius, & ipsæ minus res aduruntur: cum verò destillatur sępius aqua, & ad feces affunditur, qualibet destillatione, dimidio gradu est minuendus calor, usq; ad primum gradum, si quidem tenuior reddita materia, non eum calorem postulat, quem initio deposcebat, cum erat crassior & densior: contra accidit, cum quintam, quam aiunt, essentiam extrahere animus est, tunc enim augẽdus est calor. Balnei aqua teporem non excedat necesse est, sic ut ferre eam immissa manus possit: Quod si maiore calore sit opus, cum aqua, minuta miscenda arenā est. In ipsis aquis stillatitijs, illud est animaduertendum, quod quæ e calidioribus destillant, efficaciores reddũtur, si aqua, ter aut quater in feces reiecta suas, totidem eliciatur ac destillet: In frigidioribus contra, ut in rosa, in qua esse vnica debet destillatio: nã repetita ignis vis, acriores res reddit. Illud præterea non est, in omni destillatione prætermittẽdum, vt aquea pars, quod phlegma appellãt, secernatur: quæ quandoq; postrema exit, vt in vino, quandoq; prima, vt in

aceto

aceto, melle & similibus: quam partem aqueam, & ipsa rerum quæ destillant natura, & gustus indicabit. Quod si odorem conciliare, aut saporem, aut aliam huiusmodi qualitatem aquis velimus, conducet, si pileum liniamus ijs rebus odoratis, aut eas nodo lineo inclusas collocemus ad extremum rostrum: inde.n. stillatitius pertrasiens liquor odorem contrahet. De uasibus illud est videndum, vt quæ cinere, aut arena destillant, aut elimata scobe, ita in vase locentur, vt cinis arenaue, aut scobes, res ipsas, saltem dodrante, superet: neq; verò matula rebus implenda ad summum est, nam abiret penè in nihilum pars earum superior, integra inferior permaneret. Atq; hæc in ipsa destillatione consideranda. Post ipsam, duo potissimum respicimus, primum, an statim stillatitio liquore uti præstet, nã multos insolare aliquot diebus conducit, vt aquam rosaceam & alia: Alterum, quamdiu durent: nam quæ balneo eliciũtur, ex viæ annum superant: itaq; aut nouandę quotannis, aut circulari, aut iterata in nouas res infusione, destillationeq; elicere aut percolare filtro eas necesse est. et quoniã caloris ignei retinere vestigia pleraque consueuere, proderit, uasa in quibus insunt stillatitiæ ipsæ aquæ, statim a destillatione, aliquandiu derecta seruare, sic tamen vt ne odor, aut vires exhalent: quòd si id minime placeat, ea frigido loco, quod & tutius est, in arena humida, optimè clausa, quò eorum calor minuatur, collocare. Frigidiores tamen, præsertim balneo eductę, non solum his non indigent, sed in vase vitreo, nequaquam ad summum pleno, in sole ponendæ sunt, aut uas quod eas continet, in arena calente immergendum, quad raginta dierum spatio, vt humor crassior, & aqueus absumatur. Quæ verò stillatitiæ aquæ aliquando turbantur, eæ clarescunt, vbi in cuiusque libram, vnam aut alteram aceti guttam inieceris.

Ante destillationem, parare quædam oportet, quæ varia sunt, pro rerum natura. Locus, duo complectitur, fornaces, vasaq; nisi & prætermittere illud nolimus, ut in ea domus & cubiculi parte fiat destillatio, vnde ab incendio manare damnũ nequear. Fornacum & vasorum non vna est materia, neque forma. Ignis etiam, materia differt qua accenditur, & gradu: de quibus omnibus erit inferius suo loco dicendum.

De

De antiquitate Destillationis. Cap. II.



Etvstissimam esse hanc artem ad sexcentum amplius annos, nemo est, qui negare possit, cum de ea, perinde ac de recepto iam ac satis noto modo, verba faciant Rasis, & Albucasis, celeberrimi in re medica viri, qui circiter annum a partu Virginis Millesimum octuagesimum floruerunt. Sunt tamen, in quibus vir doctissimus Hermolàus Barbarus est, qui velint multò antiquiorem esse, adducti arca quadam Atestino in agro reperta, in qua elementa à Maximo quodam Olibrio secreta, Plutoni sacratū munus, vìsa sunt. quod quoniam verumne sit an fictum ab aliquo, qui uasibus in arca illa locatis, fidem huic arti facere voluerit, nescio; neq; si destillatione, aliaùe arte, ac methodo fuerit elaboratum; idcircò nec reijcio, nec affirmo; quamquam sapere carmina illic reperta antiquitatem videntur. Raimundus Lullius, qui hanc plurimum artem illustrauit, Hippocrati fuisse cognitam opinatur, ipsamq; Quintam essentiam, modumq; quo herbas illi lapidesq; & metalla infundimus, quod stellas cęlo figere vocant; idq; esse, quod scribit libri Prognosticorum initio, Medicum noscere oportere, si quid Diuini in morbis est: ita enim meritò admirationi fuerit, & medicus bonus extiterit. Sed si Galenum Raimundus optimè legisset, Hippocratisq; animaduertisset sensum, non ita fortassè scripsisset. Per Diuinum enim, seu, vt legit Raimundus, cęleste, intelligit Hippocrates ambientem nos aeris constitutionē teste Galeno: quamquam Fernelius id accipiat. lib.2. de abditis rerum causis, esse vim quandā è cęlo demissam, toto aere, quasi semen quoddam malorum sparsam. Sed neq; ab re fortasse fuerit, cum Herophilo, tametsi eum reprehendat Galenus, intelligere Diuinum in morbis, iram Diuinam, quæ sępe ob peccata morbos incutit, cum dicat idem Hippocrates initio libri de Natura muliebri (si tamen is liber Hippocratis sit) Morborum maximè quidem numen in hominibus caussam esse, postea verò naturas mulierum, & colores. Paucisq; post verbis ita adscribit; Oportet autem eum, qui hæc rectè tractare velit, primùm quidem ex Diis ordiri, deinde mulierùm naturas discernere; quemadmodum quoq; optimè Pius Quintus Pont. Max. ob admirabilem vitæ sanctitatem omnibus semper venerabilis, nuper restituit veterē

sanctorum

sanctorum Pontificum sanctionem, qua diligenter cauetur, ne ægrotos Medici visitent, qui peccata sua sacerdoti confessi non fuerint. Sed vt ad rem redeam, hac Hippocratis sententia nequaquam fieri puto, vt dicamus hanc artē Hippocratis tēpore fuisse cognitam, sed neque Aristotelis, licet ex ijs uerbis, quæ Philosophus ille primo Physicorum adducit text. 63. cum ait ex lapide fieri Mercurium, pleriq; id sentiant, quasi lapidem Philosophorum uocatum intellexerit. Quod enim Auerroes illud falsò (inquiunt) intelligat de statua Mercurij; accidit, quia non reminiscitur, parum antea Philosophum, cum de quinq; generibus corū, quæ fiunt, disputaret, exemplum de statua præbuisse, quæ fieri ex omni metallo, non ex ęre tantum, potest, & text. 64. affirmat Philosophus totius esse Philosophiæ subiectum, aes, aurum, & lapidem; quæ omnia lapidem ipsum Philosophorum significant, ut ipsi asserunt. Sed hanc sententiam non est quòd refellam, cū satis constet, aliud ibi magnum illum Philosophum uoluisse; & si id sensisset, quod isti putant, dixisset potius, ex Mercurio lapidem, quàm ex lapide Mercurium conflari. Quemadmodum & cum 4 Meteor. de lapide Pyrimacho loquitur, qui igne liquescit, ac fluit. Iacobus Antonius Cortusius in ea quoque sententia est, ut putet Galenum, Aristotelem, Platonem, atque ipsum etiā Hippocratem, Quintam essentiam nouisse, ductus potissimum Hippocratis libro de Natura humana, Galeniq; commentarijs in eū librum, cum scribat commentar. 38. terram depuratam, duriorem adamante euadere, & 3. Methodi cap. 4. dixerit, vtinam solennis ueterum medicina, nunc esset in vsu; de puris, simplicibusq; materijs intelligens. Verùm non possum cum clarissimo hoc Patauino patricio, de materia medica optimè merito, sentire, quando alium sensum, adducti ab eo loci habeāt: quod enim ad hunc postremum spectat, seipsum explicat Galenus, aperitq; de qua veterum medicina loquatur, cum addit: Quippe ij simplicis cuiusq; affectus propriam curationem dicunt, præcipueque omnium Hippocrates. Itaq; in eo laudat veterem medicinam, quòd primò simplicium affectuum curationem, mox compositorum scriberet. Commentario de natura humana, dum vult ostendere, elementa nequaquā sincera reperiri, Si igitur, inquit, mente conceperis aquam euadere exquisitè humidam frigidāq; iam iā desinet esse aqua: illico enim gelascet, ac sistetur, nec amplius fluet. Et si terram pariter mente conceperis prorsus siccam

& fri-

& frigidam esse, eiuscemodi corpus, durius erit adamante: & si euadet talis, generatio stirpium cessabit. Tantum igitur abest, de Quincta Essentia Galenum loqui, vt nihil nisi de Elementis ipsis tractet. Posset forsan adducere nos, vt antiquam esse mille iam amplius & tercentum annis hanc artem putemus, Plinij sentētia qui scribit libro trigesimo tertio. cap. 4. Caium Principem, ex auripigmēnto Aurum fecisse; atque dictum etiam Suidę, qui testatur, Diocletianum libros dę chemia auri, argentiq; Aegyptiorum, ab antiquis scriptos, cremasse, ne Aegyptij arte illa, diuitijs comparatis, arma mouerent. Iulius quoq; Firmicus Maternus, Iunior, Siculus, vir consularis, qui Constantini Imperatoris tempore, annis iam mille ducentis, & amplius, vixit, lib. 3. Matheseos ad Mauortium Lollianum. cap. 15. Alchimiæ meminit, asserēs, Lunam in nono ab horoscopo, loco, in nocturna genitura, in domo Saturni, hominem ad scientiam Alchimiæ propensum reddere; Si tamen nō absq; destillatione, aurum illud & chemia fieri potuerint. Hermetem autem quendam, & Geberum omitto, quòd nihil pęnes me certi dę illis habeatur. Nisi Hermes ille, Arabs medicus sit, cuius sæpe meminit Mesues; sitq; Geber, vt plerique asserunt, impijssimi Mahometi ex filia nepos; quod si ita est, nihil maioris antiquitatis nobis refert, quàm dixerimus. Illud enim puto, quòd cum ab Arabibus sæpè memoratam hāc destillādi artem reperiam, apud Græcos autem antiquiores nullum de ea verbum legatur, ab illis inuentam, aut certè propagatam fuisse, ab eo tempore, cum Saracenis iuncti, regniq; finibus mirum in modum latioribus factis, Damascum vrbem, sedem Regni constituerunt. Tunc enim multam literis operam dedisse ostendit vel conuentus ille doctorum virorum, quem Muauias, eorum Ammiras, seu Rex, Damasci habuit, anno salutis circiter 670. adepta enim regia dignitate, quam Ammiratum dicebant, Principes quoq; necessariò, & complures potentes ac nobiles viri nati sunt, qui rationem habentes valetudinis tuendæ, prorogandæq; vitæ; quod antea nequaquam fecisse credi potest, cum inopes & vagi desertis in locis viuerent; medicis remedijs multò diligentius operam nauabant. Quamobrem Medici ex ipsis facti sunt plures, & in precio habiti; honos enim, & præmium alit artes, atque auget: neque tamen adeo frequenti vsu habebātur stillatitij liquores, ab Arabibus, vt modo inualuerunt, quod ex Auicennæ, & Mesue, aliorumq; eius temporis & gentis scri-

ptis, facile nosci potest cum ipsa dies multa inuenerit. Facile autem conijcitur ab Aegyptijs profectam hãc artem; ab illisque occultè seruatam, quod & Suidas id illis adscribat, & Firmicus suam Matheseos disciplinã, in qua de Alchimia meminit, Aegyptiam appellet. Quamquam autem Aristotelis ætate minime cognitam fuisse dixerimus, hanc tamen Aristotelem sub odorasse non negauerim, quod & declarant ea, quæ. 13. Probl. 6. scribit halitum qui è rebus effertur, nequaquam retinere earum rerum uim, è quibus effertur, huiusq; argumento esse halitum è vino qui uini non seruat vires, cum non vertatur in vini, sed in aquã. Hæc ibi Aristoteles.

Quæ destillari possint. Cap. III.


EX his autem quæ diximus, facile patet, quænam sint ea, quæ destillari possint. cum enim sit destillatio, liquoris aquei, seu rei humidioris in vapores extenuatio, & in aquam conuersio, satis constat ea destillari posse, quæcunque halitus emittunt, & cogi possunt in aquam. At videtur hic negocium facere Aristoteles 4. Meteor. t. c. 47. vbi de exhalabilibus disputat, constituitq; discrimẽ inter ea, quæ exhalant, & quæ euaporant: nam exhalant, quæ à calido comburente fumum emittunt, in quo siccæ, & humidæ partes ita coniunctę sunt, vt non tamquam duo, sed vt vnum, calido subijciantur, & diuelli vna pars ab altera non queat: quamobrem huiusmodi fumus, neq; madefacit, ob siccum combustum sibi iunctũ neq; in spiritum vertitur, cum distrahatur, dissipeturq; sed magis inficit: quod in fumo lignorũ videtur, qui, vt Albertus magnus egregiè docet, ob siccum terreum adustum, atro inficit colore; adhęret autem ob humidum, quod tamen cum exiguum sit, nequaquam continuus est, & durior apparet, nisi ab vnctuoso educatur, tunc enim nidorem appellant; quemadmodum e pingui fuliginem. & licet Petrus Pomponatius, clari Philosophus nominis, in quartum Meteororum dubitans, se nescire dicat, pingui, & vnctuoso quid intersit; ea tamen facile mihi videtur differentia posse colligi ab Aristotele eo loco, vbi paulò inferius, picem, ceram, thus, & quęcunque picem habent, pinguia vocat, oleum autem, & quęcunq; oleosa sunt, vnctuosa. Videtur itaq; ex his, quę asserit Arist. cognosci ligna, ossa, oleum, oleagina, ceram, thus,

thus, & huiusmodi destillari non posse, cum horum fumi non madescant, sed in aerem extenuentur, nec possint in aquam cogi; oleum enim vt ibidem inquit Arist. non incrassatur, neq; elixatur, quia non est uaporabile, sed exhalabile; imò neq; uinum poterit destillari, præsertim dulce, cum non euaporet, sed exhalet, & pingue sit, non enim est uinoso sapore præditum, quamobrem neq; inebriat; quod etiam idem testatur Arist. 3. Probl. 13. 27. Ad hęc cum dicat 4. Meteor. 52. Ferrum, myrrham, thus, & omnia, quę lachrimę appellantur, terrea esse; quę autem talia sűt exhalant, aut nequaquam liquantur; fiet ut frustra assumatur horum omnium destillatio. Sed neque aurum poterit destillari, quia neque exhalabile est, ut docet 4. Meteor. 26. Arist. cum humiditatem habeat passiuam solubilem quidem, at non separabilem a partibus terreis, in quibus est, ui caloris humidi; & si quid effumat, ut inquit Albertus Magnus, illud, impurũ, fumosum, fęculentum, ac terrestre destillat: & si humor à centro ad circumferentiam effluit, frigido superueniente, recurrit intrò. Satis etiã perspicuè Arist. t. c. 41. asserit mel, lac, oleum, salem, nitrum, & sanguinem in igne nõ euaporare, sed crassiora reddi; caussamq; afferens, ait id esse, quia mel est naturæ terreæ. t. 42. licet. t. 48. dicat terræ, & aeris, oleum aeris & aquæ; lac, & sanguis, præsertim fibrosus, aquæ, & terræ, sed magis terræ; sal, nitrumq; eiusdem; quare incrassantur igne, neq; euaporant: Quibus omnibus efficitur, vt destillari nequeant; cuius tamen oppositum ij asserunt, qui destillationibus vacãt; & ex ijs omnibus liquores stillatitios elicere sibi persuadent, & quidem non iniuria. Ceterum, vt rem hanc explicemus, illud primò ignorandum non est, quod & Alexander Aphrodiseus eo loco animaduertit, Aristotilem, cum aliquid asserit non euaporare, non dissolui, atq; huiusmodi cetera, non sic accipere, vt nihil omnino euaporet, nulla eius pars dissoluatur, sed quòd non totum dissoluatur; cuius rei id esse argumento potest, quod cum scribat. t. 47. ligna non euaporare, sed exhalare, quòd terrea sint, tamen t. 51. ait ligna euaporare vt thus. & licet aliqui id nitantur declarare ob id, quod hic de viridibus, ibi de siccis intelligat, quantum tamen id sit ad Aristotelis mentem; non est hic disputandi locus; mihi quidem non videtur. Scripit etiam eodem tex. 47. oleum non incrassari, quia non euaporat, & tamen superius t. 40. dixerat oleũ fieri crassius, & albescere ab igne, & tempore, euaporante aqua, si qua inerat, &

marcescente calido, asserit præterea. t. 36. mel elixatum igne, & solutum, concrescere frigido, cum tamen dicat. t. 41. mel esse naturæ terræ, oleum autem aeris, & aquæ; atq; ob id igne incrassari, nec euaporare; quamobrem non poterimus negare, cũ mel igne dissoluatur, & frigido concrescat, quin habeat partes etiã aqueas; quod & Alexander. t. 28. affirmat, quia tamen plurima eius pars calido incrassatur, simpliciter asseruit Aristoteles, esse naturæ terræ; quod ipsum quoq; eo modo intelligendum est, quo Beatus Doctor, præclarè, ut omnia, docet. 2. sent. dist. 14. quæst. 2. art. 1. nempe cum alijs comparatur, quæ fluunt, non autem simpliciter. Sit igitur quod diximus, Aristotelem, cum quidpiam non euaporare, non dissolui, aut tali natura esse dicit, id pro maxima parte intelligere, non negare tamen, quin diuersæ aliquæ partes inesse in eo possint, si ex ijs quæ adduximus, & adducere possemus, si ferret occasio, eius mentem in eo quarto libro recte fuerimus uenati. Non est deinde omittendum, multa, Aristotelis ætate, & uno modo vera fuisse, in hac præsertim dissolutionum ac eliquationum materia, quę tamen nostra, & alio modo, non dixerim falsa, sed longè diuersa uidentur, postquam tot aquarum genera, tot præparationum reperta sunt. Verũ quidem est aurum non elixari aqua communi, neque diminui, sed tamen aqua acuta, forti appellata, ita facilè, ita breui dissoluitur, dum in minimas ac sensum effugientes partes distrahitur, vt mirum uideatur, & nisi videremus, credi uix possit, quod multò etiam magis in reliquis metallis constat, & potissimum ferro, quod in oleum facile abit. Dixit. t. 41. Aristoteles oleum incrassari calido & frigido: si nos contra assereremus, non incrassari, falsum dixisse videremur, cum tamen uerum esse possit, diuersa ratione acceptum, qua ductus idem Aristoteles scripsit. t. 47. non incrassari calido & frigido, Reperta igitur cũ non essent, quando Aristoles scripsit, quæ siccum ab humido, uel aereo, in huiusmodi, aut separarent, aut ita vtrumq; extenuarent, vt possent fluere & educi, quod repetita ignis ui, & additis, quæ extenuent, rebus, posterior ætas, vt pleraq; alia, vidit, nequaquam mirandum est, si multa secus accidant. Argentum viuum, oleum, picem, & huiusmodi elixari non posse, est verè ab Aristotele scriptum. t. 45. ijs artibus & liquoribus, quæ illa secula norant, sed quid repugnat, vt luculenter Pomponatius scribit, fieri id posse, humidumque aereum separari? non ne ex aere, dum exiccatur, fit ignis, atque

etiam

etiam terra, absq; vllo medio, vel ipso Aristotele id 2. de ortu, & interitu affirmante? Præterea cum Arist. eod. t. 43. argentum viuum, cum oleo eiusdem naturæ tradiderit, aereum scilicet, & inconcretile, & quod, uti oleum, ob aereas partes, difficile misceatur, imò non misceatur, tamen posterioribus sæculis compertum est, misceri; quodq; admirabilius est, cum liquidorum nulli misceatur, liquida ipse natura, durioribus tamẽ arctissimè iungitur, & ijs non omnibus, sed auro, & argento & stagno & plumbo, in quæ ita imbibitur, vt mollia ea reddat; & præter cętera aurũ; quod tamen densius, ac tenuius reliquis metallis fcribitur. Neq; uerò ea mihi ratio satisfacere omnino potest, quam doctiss. clarissimusq; medicus, Hieronymus Fracastorius, patricius Veronensis affert de sympathia cap. xj. liquidis non admisceri, quia propter pondus subsidat omnibus, fieri enim potest vt ambiat, ut obruat liquida; sed quia, vt subdit, diuersæ naturæ sit, & fortis mixtionis: quæ naturæ diuersitas, & fortis mixtio, ac reis partibus, si Aristoteli credimus, adscribenda fuerit. Albertus tamen Magnus, clarissimus rerum naturalium indagator, cui posteriora inuenta, comperta fuere, plurimaq; ipse inuenit, siccari argentum viuum docet; imò neq; etiam impossibile est, vt in aquam vertatur; tantam patitur separationem aerearum partium. Sic autem efficitur. Fictile parant vas rotundo ventre ac crasso, collo verò leniter turbinato, vt aptatæ capitis parti, accommodari possit vitreum pileum, inde figulorum luto circumliniunt spiramenta, ne viuum argentum in auras expiret: aperto canali vas subijcitur, vt liquorem excipiat: sit vas postea peruium è latere, quò viuum argentum intromitti possit. Igne totum incandescat, tumq; infundibulo, vel alio instrumento hydrargyrum immittito, & cretam statim inducito, vt aptatæ parti par sit: vbi enim valdè intonuerit, & crepitum ediderit,



cogitur in vaporem solui, ac paulatim crassescens, in subiectam fideliam elabitur. Alij etiam eandem aquam conficiunt, vasibus, quę hic describuntur, in furno ad id apto locatis, sic vt stipatis accuratè rimis, ęquali ignis caliditate participent, præter vas recipiens, quod nulla affici caliditate debet: quem admodũ eminere etiam è furno necesse est, prioris vasis collũ, per quod immittitur argentum viuum. Itaq; vbi vasa hęc, luto incrustata, igne incanduerint, è superiori osculo, argentum viuum diligẽter expurgatum, in ea immittitur, occluso statim osculo; nã breui, partim aquam factum, partim adhuc viuum, in recipiens vas decurret. Quod viuum est, repetito opere, totum in aquam uertitur. Quamquam cum argentum uiuum in sublime efferatur; & humido loco positum in aquam abeat, cumq; facilè euolet in auras, quod oleo non conuenit, esse potest argumento, non esse omninò impossibile separari, quod aereum est, nedũ aqueũ cum tamen in oleo ob maiorem connexionẽ, vel ipsum aqueũ; difficilè separetur. Pręterea cum metalla sint natura aquea; dissoluuntur enim calido & sicco, frigido autem coguntur, ut asserit 4. Meteor. 52. Aristoteles, cur non poterunt destillari, id autem est, in halitus dissolui, qui deinde cogantur? quęcunque enim aquea sunt, ea uaporabilia scribit tex. 47. Aristoteles. Itaq; si non vi caloris humidi; caloris saltem sicci; si non ita crassa & densa, uti natura genita sunt, saltem in calcem redacta, saltem aquis tenuibus, salibusq; arte paratis, disposita, poterunt: neq; id fuerit Aristoteli, experientiæuè aduersum; nam quæ dixit Aristoteles, vera sunt, vt sæpius memorauimus, eoq. calore, & artificio, de quo ipse loquitur, dissolui non possunt: non negasset tamen, quin alia ratione, ac maiore vi, id posset, tametsi magna sint pororum angustia, qua efficitur, vt adamas, & plerę; huiusmodi gemmę liquari non posse videantur. De melle, sanguine, thure, cera, & id genus ceteris, nihil dicam, quando difficultatem ob iam numeratas caussas, non impossibilitatem ostendunt. Cera enim butyrum, sanguis, sal, & alia, aut prius parantur, macerantúrue, quò sit facilior attenuatio & separatio partium, aut repetitur destillatio arte facta, quęmadmodũ suis patebit locis: Ipsa enim exprrientia, qua oleum vi ignis elicimus, è chalcantho vsto, & huicsmodi, nos, vt puto, cogit, vt ita dicamus, si Aristotelis scripta, vera, vt vera profectò sunt, tueri animus fuerit.

Quot modis fiat Destillatio. Cap. IIII.



ON vno modo Destillatio efficitur: potest tamen eius diuersitas, vel ratione rerum, e quibus aquam, humoremuè elicimus, accipi, nam alio modo mel, alio vinum, alio oleum extillant; vel a uase sumi, aut a medio, quo uas circundatur. Et quoniam de ea, quę a rebus accipitur varietate, singulis seorsum capitibus dicemus, persequemur nunc duas posteriores. Itaq; si a uase sumatur, duobus hęc potest modis contingere, vel enim a forma, figuraq; vasis, vel a modo quo in furno locatur. Forma vasis non una est, quia uel est cucurbita recta, quā appellant vulgo Bociam, Albucasis autem, seu ut absq; articulo pleriq; scribunt, Buchasis in Seruitore, uocari Ventrem scribit, quod inferius rotunda sit, superius autem extensa, in cuius colli apice, pileum rostratum imponimus, cucurbitam autem appellamus, quia satiuę cucurbitę formam referat; Vel cucurbita non recta est, sed incurua, quam stortam appellant; Vel est matula; Vrinale uocata, quę quo ad rem ipsā, à cucurbita parum distat. Cum enim fæcibus nobis opus est siccioribus, ne assiduè frangatur vas, cum sunt nobis extrahendę, aut terendę, recta præsertim ac pileata, rostrataq; destillatione; tunc matulę usus est. Curua cucurbita elicimus ea, quę non admodum tolli in sublime queunt. Atq; hęc est à uasibus diuersitas, quę tamen infinita propè videtur, cum multi varias ex animi sententia, uasorum figuras, inani maximam partē, ac inutili, ut putamus, studio elaborandas curent. Non est autem omittendum uas illud, quo passim officinę destillandis aquis utuntur, habetq; inferius matulam ex aere, non admodum elatis lateribꝰ cui e plumbo pileum imponunt rostratum, in pyramidis formā quam Campanam uocant; quorum omnium, quantum ad pręsens negocium facit, inferius figurę describentur. Quod si a uasis situ uari um destillandi modum accipere consilium fuerit, eū duplicem potissimum inueniemus; nam aut recta cucurbita, cui rostratum pileum imponitur, aut incurua, seu cum unius collū cucurbitę, in alterius collum immittitur, quod bociam contra bociam appellant: nisi forte hunc destillandi modum numerare tertium velimus. His autem ea destillantur, quę difficile ascendunt, succiq; minus habent. Quod si accipiamus latius destilla-

tionis nomen, vt sit humidi eductio a calore, in hunc locum referenda erit ea, quę per descensum fit, inuerso cucurbitę ore. Quę autem a medio sumitur diuersitas, quod medium inter cucurbitam, & ignem cadit, ea primò duplex est; quia uel nullum est, vel aliquid, si nullum, id accidit, uel cum fundum cucurbitę, ignis ferit, quo modo in educendis acutis aquis, oleisq; chalcāthi, salis, sulphuris, & huiusmodi utimur, quæ nō nisi vi ignis, maxima elici queunt, quod forti profunda, validaq; mixtione constent, ijs partibus, quę sunt extrahendę. Vel nullum esse medium accidit, cum cucurbita, rostrato pileo cōtecta, solis radijs exponitur: quę modū pleriq; miris laudibus extollūt ꝙ à radijs illis, cęleste quidpiam, &, vt aiunt, viuificatiuum, accipere, quę destillantur, putant quod tamen vanum, ne dicam falsum; putauerim; quamquam. 2. de generat. anim. cap. 3. vitalem esse Solis calorem Aristoteles dicat; prętérquam quod parum admodum in sublime tolli eo calore posset, atq; etiam minus, ob pilei, rostriq; caliditatem a Sole conceptam, in aquam uerti. Si uero aliquid medium fuerit, primum quidem olla constituitur, quam ignis ferit caliditas, ea in olla collocatur cucurbita, circa quam medium illud, de quo nunc loquimur, adhibetur; & quandoq; elimata scobs est ferri, aut chalybis, nonnumquam arena; quibus duobus magna vis caliditatis seruatur. Sunt qui fimo cucurbitam obruant, sic tamen, ut rostratum pileum, emineat, aereq; ambiatur: & caliditatem hanc, perinde ac humano temperamento propiorem, supra quàm dici potest, laudant. Verum ut improbari non potest, mea sententia, hic destillandi modus; ita melius, ac delicatius fieri destillatio cum possit, hunc libenter prętérierim, neq; tamen ea ratione, quòd, ut Michael Sauonarola, & eum secutus Syluius putauit, teter fimi odor, eorum quę destillant, spiritus inficiat, & aquam impuriorē redEat, non enim penetrare uitrum potest. Cum alioqui plurimum intersit, qua ignis materia accendatur; scribit enim. 2. Aph. 41. Galenus, cuidam mulieri, si diutius in balneo commoratę fuisset, frequenter eriri consuesse animi defectum, tum propter temporis longinquitatem, tum quia malis plerumque lignis balneum succendebatur. Sed fumus hoc loco penetrabat ad balneum, ad eosq; qui erant in balneo. Alij fimum cum calce in olla ponūt, ignemq; subius adhibent; sępius autem cinere utimur, & aqua, & plerumq; solo aquę uapore, atq; ut illa per cineres, ita hęc ca

lentis aquæ balneo,seu balneo Marię destillatio appellatur,quā adhibere consueuimus, in ijs, quæ leuiori igne indigent,quòd facile exolubiles,& in halitum degnerantes, tenuioresq. partes habeāt,delicatisq. admodum conuenit,cum nec tetri odores è fumo atq.igne percipiantur.Appellant autem balneum Mariæ, ignem primi gradus; Cineres,secundi; Arenæ,seu sabuli, tertij gradus,scobis elimatę, quarti: Primo vtuntur gradu ad res homidiores ac tenues ut Flores:Secūdo ad tenues et siceas:Tertio ad ea quæ crassiore substantia sunt,& succi plena,ut cōplures radices sunt: Quarto ad metalla solum et mineralia. atq. ubiq, rimas vasorum esse optimè luto, seu glutine obductas necesse est,ne destillantis rei spiritus euolent.Matthiolus cum aqua balnei, arenæ etiam nonnihil admiscebat, ut quasi medius esset calor;& in huiusmodi destillatione duplicem liquorem excipi posse ait, primum dilutiorem, alterum rubentiorem. Disputat quoq.Ioannes Manardus Ferrariensis medicus,& eum imitatus Fuchsius; vnicè cauēdum in succis stillatitijs eliciendis,ne eius vasculi fundus, in quo stirpes continentur, aquam in cacabo bullientem attingat, sed solo vapore ab ea eleuato incalescat. Verū ipse nō possū, Manardi, uiri, generis nobilitate,& rei medicæ cognitione clarissimi; sententiæ omninò subscribere, vt qui, vna cum Petro Andrea Matthiolo, iudicem,non esse semper ea exquisita ratione procedendum in herbis destillandis, ꝙ certò sciam, nihil referre, quando etiam uasculum herbas recipiens, in aquam maiori in uase bullientem,immergatur. Nam etsi aquæ,quas illi uolunt ex herbis uapore tantum ab aqua bulliente eleuato, extrahi, ceteris præstantiores haberi possint, tamen quæ ex herbis eliciuntur, vasculo impositis, ꝙ aqua bulliens circumluat, parū certè, aut ferè nihil illis bonitate cedūt; quod mihi, uti etiam Matthiolo, compertū est in ijs aquis,quas sæpissimè libuit utroq. modo elicere, & experiri. Attamen aliquis illud discrimen esse dicet, quòd illo modo aquæ ex herbis extrahantur, quæ tenuiores partes retinent,quòd uaporis illius caliditas imbecillior sit, quàm ut possit totam herbæ substantiā conficere; hoc autem modo aquæ eliciantur, quæ omnes herbarum partes secum referunt. Haec sanè differentia, quæ facilè concedi potest,non est tanta,ut illa regula sit perpetuo obseruāda,haec uerò euitanda; quin potius facit,ut haec Matthiolo videatur probanda; illa uerò reijcienda, tamquam cautio nimis

religiosa, præterquam quòd in aliquibus non omnes eas partes eliciat, quas quærimus, at solum aqueas, aut illis proximas. Ignis etiam ratio facere plurimum videtur; è carbonibus enim odoratiorem aquam reddit, quàm ex lignis, quòd lignorũ inæqualis sit, ideo modò tarditate sua consumit aquam, modò celeritate exurit, & oleagineum quiddam cogit ascendere; atq. idẽ contingit, quod in lateribus; qui intermisso igne excoquuntur. omnis enim ignis inæqualitas, q̃ est ab ordine aliena, coctionẽ omnem, destillationemq. uitiat. Verùm differentia haec magis patet, cum ignis vasi subijcitur, in quo res destillãdæ sunt; obscurior est, cum Mariæ balneo. Atq. tot modis fieri, uariariq. destillatio potest; omittimus autem destillationem per patinas, per lignum, & per descensum, quod propriẹ destillationes, uti nunc accipimus, non sint. Nam per lignum destillare dicimus, cum res ipsa in vase ligneo posita, cuius fundus sit adeo tenuis, ut p̃spicuus sit, ui ignis per fundum illum destillat; inficiturq. fietq. potus aut medicamentum pro ligni ratione. Per patinas, cum adhæret fumus in guttas cõcretus, patinæ. nam herbæ, quarum elicere uires optamus; mense Maio cum rore collectæ, uino feruent; excipiunturq. patina terrea, ac cõteguntur, sudorq. qui adhæret colligitur, denuo quoq. cogũtur; ac ter, quater, quinquies similiq. modo sẽper colligitur ros ille, qui tanto tenuior est destillatione, quæ fit per vasa collecto; quanto minore calore ascẽdit; multum tamẽ aqueæ partis retinere puto, cuius signum est, quod aquam ardentem vix refert; post annum autem nonnihil cæuleus euadit. Hoc modo collyrium illud fit, singulare a plerisq. habitum; quo plurimos sanatos vidisse supra spẽ, refert Hieronymus Cardanus libro de Rerum uarietate .x. ex suffusionibus, maculis, inflamnationibusq. oculorum, ex herbis ocularibus; mense Maio cum florent; rore adhuc madentibus collectis, & uino albo coctis; liquoreq. hac ratione coacto: media enim est acrimonia; ut suffusionem erodere, non oculi substantiam valeat. Idem efficacius fit si herbæ succus ebulliat, indeq. halitus colligatur. Destillationis per descensum meminit in seruitore suo Albuchasis, cum stillatitiam aquam e scilla docet. Nã quæ destillare cupimus, in vase ponuntur terreo, ac uitro interius obducto; cuius sit fundus punctim pertusus; contegitur diligenter, lutoq. oblinitur; sub eo uero uas aliud collocatur, in ꝙ ingrediatur fundus uasis superioris; stipatisq. optimè luto rimis,

mis, igne, uas superius, circundatur; sic ut inferius non attingat; quod idcirco terra obruere cõsueuerũt: Destillat enim liquor, atq. hoc modo non solum e scilla, sed e quocunq. ligno; si tamen pingue sit; ut Pinus; & Guaiaci, copiosum detrahitur oleũ. Sed quando hæc destillationum genera ad nostrum institutum non faciunt, tot de illis dixisse sat fuerit.



De destillatione per descensum Cap. V.

QVomodo uis caloris, quã solẽt halius efferri in sublime, sic eos deijciat, ut inferius cadant, & quomodo à calore cogi in aquam possint, & an easdem vires humor, qui descendit, habeat, quas ille qui ex halitibus ascendentibus cogitur, magnopere inuestigandum esset: Videntur .n. halitus magis calorem passi, eiusq. uires, ac ustionẽ seruare debere, cum tamen experientia doceat, e floribus, folijsque odoratis potissimum sic destillari consuesse, magisq. ac diutius odores suos retinere, maioremq. humoris copiam breuiori tempore haberi, ut in absinthij aqua patet, & rosarũ hoc modo educta. Sed hæc potius quasi eliquatio uidetur, & resudatio humoris, quam destillatio, & in halitum dissolutio, propter eas, quas modo adduximus rationes: Ascenderent quidem tenues halitus, sed ignis vi absumerentur, nec ulli possent, aut pauci ad

modum in aqum cogi: Itaque nihil mirum, si suas diutius qualitates seruant. Cur autem odor seruatur non sapor ut in aqua absinthij patet? An quia proprie odoris causa siccitas est, quę paulo validiore calore nō tollitur: saporis autem humiditas; quamuis in sapore, siccum, in odore humidum, sed secundario necessaria sint: nam conglaciata poma, saporem amittere, non autem odorem nouimus. Quis autem modus præstet destillationis, per ascensum, an descensum? certe per ascensum, quia purior: tametsi vbi corpore substantia, &, vt aiunt, corpolentia opus est, per descensum efficacior: tametsi cum per descensum ad solem, destillamus, aliquanto propius accedamus ad destillationem per ascensum. Fit autem per descensum ad solem, in floribus præsertim, cum vitrea vasa duo, æqualia ac similia, quorum sit fundus latior, collum strictius, alteri alterum imponimus, linteo tenui panno, inter ora illorum, quę se contingunt, posito, stipatisq; optimè luto rimis. Superiore vase, floribus nō nihil contusis pleno, inferiore, vacuo. Soli.n. expositis, e superiore vase, in inferius aqua destillat, grata admodū atq; odorata. Ita plerique aquam rosaceam moscho imbutam, Violaceam item: & liliaceā ex comis item fęniculi tenerioribus colligunt.

De dignitate, & vtilitate Destillattionis. *Cap. VI.*



PVLCHERRIMAM hanc artem, maximo semper in honore habitam, vel ex eo cognosci potest, quod vbi innotuit, perpetuò apud viros nobiles, ac Principes locum sortita est. Nam eo libro, quem Seruitorem inscripsit Albuchasis, qui annos quingentos ab hinc floruit, testatur Reges Abarach destillationis arte plurimùm delectatos, modumq; adscribit, quo ipsi rosaceam aquam stillatitiā eliciebāt. Idem ducentis iam, & quinquaginta annis Robertus Rex Neapolis, fecit, magnoq; in pretio habuit, qui eam callebant: a quo etiam studio Odoardus Angliæ Rex nequaquam abhorruit. Sed ne historiam texere velle videar, nostra ætate id satis perfectum est, cum inter alios plurimos, Octauianum Languscum, virum nobilitate generis ac doctrina insignem, hanc optimè calluisse & exercuisse, multasq; res nouas adinuenisse satis constet. Vt omittam Cosmum Medicem, Magnū Ducem Etrurię, qui oleis, aquis, plur ibusq; huiusmodi stillatitijs liquoribus, ad humani

corporis

corporis morbos pellendos, mirum in modum vtilibus, hanc artem maximè ornauit. Idem Hercules, idem Alfonsus Estenser, Ferrariensium Duces Serenissimi fecerunt: Nec desunt Austriacæ domus Principes, non Galliç Reges, ipseq; in primis Franciscus Valesius, Henrici Regis frater, qui artem hanc nobilitent, Omitto multos alios viros Principes, apud quos perpetua serie ars hęc floruit; quę ab ipsis non minorem nobilitatem acquisiuit, quàm illi prębeat eius finis, formaq; & vtilitas. Nam partes dissimiles separat, nobilitatemq; rebus addit, dum eas à crassiori materia, faecibusq; secernit, ac puriores facit, & quasi corporibus cęlestibus similes, quę imperfecta sunt, attenuando perficit, & è corruptibilibus, facileq; putrescibilibus, incorruptibiles propè reddit. Quod si vt Galenus ait. 1. de simpl. med. facult. cap. XI. corpus exile facilius alteratur, mutaturque ab eo, cui admotum est, quod autem grandius est, non nisi temporis spatio, ac vix tandem etiam sensibilem alterationem sustinet, atq; idcirco si piperis particulæ a nobis accipere debeant mutationem, eoq; accipiant facilius, quo fuerint minutiores, mirandum non sit, si eas tantò citius excalfacere experiamur quantò accuratius in minimas fuerint comminutę, quid erit dicendum de ijs, quæ destillatione excipiuntur? quibus, vt Manardus ait, vbi opus est vehementer calefacere, & ad intima vsq; accedere, nullam rem naturalem posse comparari satis constat, adeò vt aliquot olea hac arte elicita, vim ignis, quod est omnium elementorum nobilissimum, superent, ferèque videatur falsum dictum illud Hippocratis, si tamen Hippocratis est, cum ait lib. 7. Apgorism. 85. Quę ignis non sanat, ea incurabilia putare oportere. Quamobrem Iacobus Syluius Ambianus, clarissimus Medicus: quem Andreas Tiraquellus, suo de Nobilitate libro, fama gloriaq; maxima, sed eruditione, & doctrina maiore, publicè profiteri sua ætate, Parisijs testatur; ī Mesuem scribens, de oleo ex ranis, Oleorum, inquit, quartum genus a sapientibus multis descriptum, hodie chymistica arte magis perficitur, vim quandam in cōcreto & composito occultam manifestante. Hæc namq; ignis vehementia, ex liquoribus, gummis, resinis, melle, saccharo, cera, oleaginam quandam substantiam separat, & in capitellum attollit, nec minus ex plātis pinguibus, ligno Guaiaci, Iuniperi, Pini, Larice, cedro, & id genus alijs præterea ex plantarum, atq; adeò animalium partibus omnibus ipsum uelut gluten terreæ substā-

stiæ,



stię,humore insitum,pingue,imputribile maximè,vi ignis secrē tum,nunc sursum atollit in capitella,vel vtriculos,vel deorsum in subiectum aliquem catinum pręcipitat:rem omnibus alijs rē medijs planè diuiniorem,si VIstadio in cœlo Philosophorum, & Gebero, & veritati credimus: Quamquam hodie sunt idiotæ quidam,magnorum tamen Medicorum nomine se vēditantes, qui id ipsum ceu nugatorium calumnientur; vt alia propè omnia pulcherrima ipsis ignorata, solas,vt vocant,receptas scribere, nulla tamen ratione, scientibus. Adde quod metalla quędā, chymistis in calcem versa in oleum fundantur; Sunt qui terrea quoque corpora vt lateres ignitos,oleo incoquūt,vt vires oleo ipsi præstantissimas acquirant.Hęc ad verbum Syluius, quę hic placuit ita adscribere, vt grauissimi viri sincerum testimonium accederet;quæ ferè, clarissimum Manardum imitatus, repetit, cum de oleo Philosophorum loquitur,cuius,ceterarumq: stillatitiarum rerum tenuitatem potissimum extollit,quæ certe ea est,vt omnes alias harum caducarum rerum facile superet.Quā tum autem tenuitas prosit, Galenus.1. de simplicium med. facult.cap.xi.docet luculenter,asserens,quæ subtiliorum sunt partium,promptius propriam exercere actionem,quàm quæ crassarum, tametsi eandem cum illis facultatem obtineant. Adde etiam,minus esse insuaues,ac potius odoratiores, liquores stillatitios, si recte ex arte eliciantur,quòd Galeno teste,8.de compos.med.secundum locos, cap. in curandis morbis, stomachi præsertim,plurimum valet, & ob id curationis est scopus, vt simul ad affectas partes, odoratas qualitates opponamus. Iuxta hanc itaque rationem Hippocrates in pleuriticis purgatiuum exhibēs medicamentū, misceri aliquid ex his iussit:quemadmodum enim graueolentia omnia stomachum subuertere solent, sic odorata corroborare.Non est prætcrea omittendum, cū destillatione,purissima tantùm,ac sincerissima pars eliciatur,omni crasiore sorde,quæ impedimento esse actioni solet, deposita,minimam quantitatem stillatitij liquoris,magnam æquaturā eius,quod est concretum ac mixtum cum crasiore parte. Michael Sauonarola Hierosolymitanus eques, & Medicus sanè egregius, refert,Antonium è Scarperia, quæ Apennini in Etruria regio est, clarissimū Medicum,cùm esset annos natus octuaginta, dicere solitum; se stillatitio vini liquore,id autē est,aquā ardente, annos duos & viginti vitam produxisse:Suaq; tēpestate,

te, scribit, eximium Medicum, praxi & scientia celebrem, Iacobum Parmensem, cum nonagesimo anno propinquus esset, id se eidem stillatitio liquori referre acceptum: multosque praeterea alios adducit, & ipsum in primis Ioannem Franciscum Gonzagam, primum Mantuæ Marchionem, qui succis hac arte eductis, plurimum auxilij acceperint, quod ex his quæ inferius dicemus, magis constabit. Neq; verò hoc loco præterierim Thomæ Erasti, medici ætatis nostræ clarissimi testimonium, qui libro de Metallis, scribit, hanc destillandi artem, non modo vtilem, sed propè necessariam esse, vt sine qua longè incommodius vitam acturi simus. equidem (inquit) vix absoluta est ars medica, sine destillatoria.

An præstent Destillata, Decoctis, Dilutisq. Cap. VII.

PATERE autem hinc posse puto, an Destillatio, macerationi, seu infusioni, quam Dilutum è latinis plerique, Græci ἀπόβρεγμα appellãt, atq; item Decoctioni præstet. Nam ubi penetrare, calefacere, tenuiora reddere medicamenta uelimus, nihil destillatione melius. Vbi laxare corpora, & deiectionẽ moliri quærimus, omnibus antecellit maceratio, seu infusio, quam non modo Galenus nouisse visus est. 8. de compos. med. secundum loc. cap. x. & 1. ad Glauconem. xi. sed ipso etiam Galeno Medici antiquiores, Damocratesq; præsertim, cuius meminit Galenus; Iccirco autem infusio præstat, quod in decoctione, ac destillatione, tenuiores quædã & calidiores partes, quibus vis deiectoria insidet, in auras abeunt, adeò vt uel ipsum Scamonium, cum alioqui validissimum sit medicamentũ, quod purgat trahens, Turpetum item, & Agaricum, & huiusmodi reliqua, si paulò plus coquantur, vim deiectoriam egregiè, remittant. Quãobrẽ Conciliator Differentia 1 4 6. ex caussis unã, cur medicamẽta huius generis decoquamus, esse ait, vt deiectoria medicamenti vis refrangatur. Itaq; in ijs medicamẽtis, quorum est vis deiectoria in superficie, cuiusue rariores partes sũt, nihil maceratione melius, vt aluum deijciant. Destillatio & decoctio minùs possunt, vel eo argumento, quod cum rosarum dilutũ egregiè aluum cieat, liquor stillatitius nihil ea in re possit: Quamquam cum res urget, Rhabarbarum cum spica, aut

scheo-

ſchoenantho in duplici vaſe, aquæ calētis balneo decoctũ, præclarè ſatisfeciſſe noui. Cum alterationem poſcimus, id autem eſt, virium alicuius plantæ, quandam quaſi tranſlationem, Decoctio præſtat omnibus, preterquam in iis, quę ſupra à nobis enumerata ſunt, cum de Deſtillatione loqueremur. Adhæc etiam illa accedunt medicamenta, quæ oculis imponimus, in quibus ſtillatitios liquores præſtare decoctis ac dilutis non eſt dubium vel eo exemplo, quod cum Galenus adſtrictionem in roſa, aliquem oculis morſum parere ſcribat, eius tamen ſtillatitius liquor, eo prorſus caret, quod experientia teſtatur, & Victor etiã Trincauellius Venetus, Medicus doctrina, & ingenio clariſſimus, ſcribit; nam in deſtillatione partes roſę aſperiores non aſcendunt, nõnihil tamen adſtringit: Itaq; optimè ophthalmię cõuenit, cum oui præſertim candido. Hinc etiam efficitur, iniuria quoſdã adeo acerbè Meſuẽ reprehendiſſe, ꝙ hunc roſarum ſtillatitiũ liquorem, ſyrupo ſuo è glycyrrhiza, addiderit, quaſi rẽ adſtrictoriam, in ea poſuerit, quæ dilatãdo pectori, adhibetur, quod idem in manus Chriſti vocatis aſſerunt. adeo. n. modica, ne dicã ferè nulla, adſtrictio in hoc liquore eſt, vt roborando iuuet, adſtringendo nõ lædat; uti Mãdinus, Lentius, Manardus, & Syluius egregiã tradidere: quãquã nõ initio ſolũ, vt Syluius, ſed toto morbi progreſſu, cũ non lædat, ac potius iuuet, vimq; expultricem, quæ omnium maximè neceſſaria eſt, roboret, exhibere; nequaquã formidauerim. Illos tamen medicos haud rectè facere puto, qui loco ſtillatitij liquoris, dilutũ roſarũ miſcent, cum magis adſtringat. Sed vt ad propoſitum reuertamur, In Epithematibus etiam cordis & hepatis, renumque multo eſt commodior & vtilior, quod tenuior ſit, & penetret magis, liquor ſtillatitius, decoctis, ac dilutis. Neque verò, vti ſupra tetigimus, minimi æſtimandum commodum eſt, quod in conficiendis ſerapijs, cum huiuſmodi ſtillatijs aquis habemus, delicatis hominibus, qui hodie plurimi ſunt, & ferè omnes, mulieribusq; ac pueris maximè opportunum, quòdque vnum ſi rectè ſuis momentis rem ponderemus, magnam ſtillatitiorum liquorum præſtantiã facit, nam huius ſuauitatis magnam habuiſſe rationem, Hippocrates, ac Galenus compertiſſimum eſt, qui aromata, de quibus ſupra diximus, & mel modo addebant, modo detrahebant medicamẽtis, vt guſtus ratio nõnegligeretur, quę enim ſtomachus abhorret, ea minus coquit, ut 2. aph. 38. docen

mur

mur, quamobrem apud Aet Philagrius primam dulciũ potionũ vtilitatem esse ait, quod natura iucũditatis gratia ea libenter amplectitur, ac inde refocillata, & veluti reuiuiscens, actiones suas lãguidas, & amorbi feritate defatigatas, excitat. Quid vero dixerim in iis remedijs, vbi celeritate opus est? vt in pestilentia, & sumpto veneno, aut venenatorum morsu; quib⁹ casibus stillatitij liquores longe omnes superant, quod adeo tenuis essentiæ sint, adeoq. efficaces, & ad intima penetrantes vt momento temporis in omnes penè corporis venas permeent, vt in librum 6. Dioscoridis scribens Matthiolus etiã confirmat; vbi refert multos à Vipera demorsos, cũ morti essent propinqui, stillatitijs huiusmodi; quæ refert, liquoribus sanitati restitutos In decorãdis autem ac ornandis mulieribus, hac nihil arte commodius, nihil pulchrius, nihil delicatius, sic vt vel vna hac re, multis nominibus stillatitij liquores, dilutis decoctisq. præstent; detergitur enim, illustrior redditur, & alba fit facies, vix vt appareat, imò ut non appareat fucus, neq. quicquam apponitur, quod ingratum sit, si rectè pars hæc noscatur, quam celeberrimos medicos veteres etiam tractasse compertum est, in primisq. Crito, Cæsarũ medicus, & honestissimus ille vir, medicusq. summus Archigenes, nec non Heraclides Tarentinus illis antiquior, & Elephantis & Moschio; vt omittam Galenum, qui cum artem hanc, comptoriam ab ipso appellatam, damnatam ætate sua scribat, aliqua tamen primo lib. de cõpositione med. secundum locos adducit, propterea quòd necessarium sit medicis, licet grauissimis & honestissimis, ad Regiarum fœminarum atq. adeo ipsorum Regũ Imperium, huiusmodi comptoria non negare; quę tamen ab exornatoria distare ibidem Galenus ostendit. ipse quoque Dioscorides, qui Galenum antecessit, toto suo libro de medica materia, spársit, quæ ad decorem faciunt, nempe ad faciei nitorẽ, ad colorem conciliandum, ad faciem derugandam, & huiusmodi, quibus omnibus nihil stillatitijs liquoribus fieri delicatius potest, & commodius. In obstructionibus autem ac stipationibus quibusdam penitioribus, cuiusmodi sunt arteriarum leuiũ pulmonis, quę maximum vitæ discrimen adducere consueuere ita sunt stillatitij liquores necessarij, vix ut aliud potentius remedium habeatur. Quantum etiã diluta, decoctaq. his cedant, cõijcere hinc possumus, quòd licet chalcanthum, Alumen rupeum, salnitrum, & cætera id genus, decoquas, aut diluas, maceresùe,

nunquam tamen eã vim assequeris, quam habet stillatitius eorũ liquor: & licet id plerique ab igne fieri contendãt, quo in destillatione vtimur, id tamen verũ non esse ostendunt ij, qui leuiori id igne conficere norunt: ostendunt & illa, quibus licet vehemẽtissimum ignem destillando adhibeas, nequaquam acri, nihilominus, sapore percipiuntur.


De fornacibus, & vasorum materia. Cap. VIII.



VITREA organa ceteris præferuntur; nam aurea, argenteaq. non omnibus præsto esse possunt; ex reliquis metallis nonnihil abraditur; quod nocuũ est. Quamobrẽ Michael Sauonarola, eo libro, quem ad Leonellum Estensem, Ferrariæ Marchionẽ, & literatorũ hominum Mœcenatẽ, de aqua ardẽte scripsit, plumbea vasa, quibus passim pharmacopolae vtuntur, plurimùm abhorret: plumbi enim fumo, cerebrũ, & partes quæ respirationi deseruiunt, maxime lædũtur plumbũq. ipsum vstum, vertiginem ac epilepsiã gignit; hincque Dioscorides, Argenti spumã, quæ nihil aliud est, quàm plumbũ, argenti aut æris recremento commixtum, aut forsan plumbum solum, adustum, scribit, stomacho, ventri, & interaneis, grauitatem, cũ magnis torminibus adferre, vrinamq. supprimere, ac intumescere corpus, & plumbeã deformitatem cõcipere; quæ etiã mala, auctore Aetio, maiora sunt. Accedunt ad hæc, Cerussæ incommoda, quæ adeo magna lib. 6. Dioscorides, & in Alexipharmacis Nicander testantur, vt neminem non deterrere ab aquis huiusmodi plũbeis organis exceptis, facilè possint, è quibus cerussa in fundum eijcitur, si modico aceto resperseris: affirmatq; grauissimus auctor Auicẽna plumbi odorẽ, dum vritur, fugiendum, eiusq. esse scobẽ venenosam. Neq. tamen vitrea ob id organa præfero, quod, vt idẽ inquit Sauonarola, cũ vitrũ sit temperamento calidũ, & siccum, aquas, ardentẽq. præsertim, de qua ibi loquitur; iuuet & quasi meliores faciat; neq. enim è vitro quicquã abraditur, aut substantiæ, aut qualitatis, neq. fortasse vitrum ita calidum est, quamquam secus Auicen. senserit lib. 2. tract. 2 1. Verùm idcirco præfero, quod nullã aqua inde peregrinam qualitatẽ concipiat, etiã si non modò obscurũ ac turbidũ, sed si vel viride arte elaboratũ fuerit, quod minio, aut silice conficere ple

riq.solent; & in aquis acutis, quæ metalla dissoluunt ac corrodunt, positū, vix quidquā deperdat, aut fortasse nihil, fiatq. nitidius. præterquā enim quod siccissimū vitrū est, nimiā habet pororū angustiam, vt scribit xi. sect. Probl. 61. Arist. Quamobrē neque aquis tenuissimis, atque acutissimis, quales destillatio supra res omnes mortales facit, exitum concedit. Quāquam enim sic alienas qualitates induere possit vitrū, vt frigescat & incalescat, non tamen peregrinis saporibus aut odoribus sic imbui eius potest substantia, vt quę destillantur, inde aliquid detrahere queāt, licet vt melius aquā, quæ in vase cōtinetur perspicere possimus, quoad eius fieri poterit, perspicuum vitrum, nulloq. colore insignitum accipiendū sit. Pileus quoq. latior, & vitro mediocriter crasso quæritur; eius enim latitudo plurimum conducit, vt maior aquæ copia habeatur, cum non ita incalescat, halitusq. in ipsum elatos non cōburat neq. dissoluat. Quamobrem solent etiā pleriq. in hac arte peritiores, lineis pannis frigida madefactis, pileum ipsum circumdare, vt facilius, pluresq. halitus frigiditate densiores redditi, in aquam vertantur, imo his non cōtenti, aut rostrum ipsum longissimum faciunt, a ut canale vitreū addunt, quod per vas frigida plenum trasducunt, sic vt assiduè, vbi aqua incaluerit, foramine inferius facto, detrahi, & frigida alia addi possit, cuius modi figuram tum ex Sauonarola libro de aqua ardente, tum ex Cardano de subtilitate, qui illum secutus est, hic describendam putauimus.

Ex Cardano. *Ex Sauonarola.*




Hoc ingenio in aqua potisſimũ ardente, aromatibusq. vtuntur. Sunt tamen, qui affirment; in quibus eſt Sauo narola; frigida hu iuſmodi tum lineis pannis, tum vaſe frigida ipſa pleno, circumfuſa, halitus debiliores reddi; ut in aqua ardente; contrariũ enĩ alterius contrarij vim, vireſq. minuit; quod fabri ferrarij oſtendunt, qui vt pauca igni aſperſa aqua, ignem magis acuunt, ita multa affuſa extinguunt: quapropter Sauonarola eam ſtillatitiã aquã præfert ceteris, quæ nulla frigidæ affuſione elicitur. Poterat clarisſimus idem medicus exemplũ addere ex Ariſtotele, primo Meteororum, cũ de generatione pruinæ, & roris verba facit aſſerente, aquas puteorum ac fontium hieme calidiores, ob circunſtans frigus, eſſe. Quãquam enim Galenus. 3. de ſimpl. med. facult. cap. 8. & 12. repugnare videatur, cum non calidiores eſſe, quàm æſtate, ſed videri nobis, ob frigus ambientis aeris, dicit, in eo tamen fortaſſe Galenus fallitur, ſibiq, ipſi, & Hippocrati, & Veritati aduerſatur. Ipſe enim primò Aphoriſm. 14. & 15. caliditatem ab ambiente frigore augeri ſcribit: & Hip. lib. de Aere, aquis & locis, apertè teſtatur, aquas, è profundisſimis fontibus, hieme calidas, æſtate frigidas; ſed clarius libro de natura pueri, tametſi inter eam, quæ hauritur, & eam quę non hauritur, differentiam cõſtituit. Hæc tamen nequicquam me deterrerẽt, quin huiuſmodi pannis lineis vterer, cũ præter modum non ſolum pileus, ſed, vt in aquis acutis cõtingit, vas recipiens incaleſceret nam Raimundus, & reliqui huius artis ſtillãtitiæ peritisſimi, id, experimento ab ipſis asſiduè comprobatum, ſeruant; neq; ratio aliqua deeſt, quæ ad id me hortetur: nam non admodum frigida vtimur; ſic enim vaſa, quæ iam plurimũ incaluerunt, perfringerentur; quòd ſi etiam frigida vteremur, vaſa ad teporẽ adducerentur; quamobrem non ea poterit fieri *ἀντιπερίστασις*, quam aduerſæ ſententiæ medici putant, neq. ſequetur ea vitrũ refractio, quam timent; At vbi nimis incaluerit pileus, aut vas recipiens, periculumq. imminebit, ne aut halitus in ſublime elati vrantur, diſſoluanturùe, aut vitro ipſi adhaereant, tunc frigidę huiuſmodi perfuſione, ijs incommodis obuiam ibitur. Sunt qui pileum circũdant vaſe ſtanneo, multo latiore: & vas aſſiduè frigida plenum habent, quæ per fiſtulam æneam in illud influit, è vaſe ſuperius in columnula ad ſummum fornacis locatæ, poſito. Quæ autem incaleſcit circa pileum aqua per fiſtulam ex ambiente vaſe ſtanneo deducitur. Verũ vt eò redeam, vnde diuerti, Vitrea

vaſa

vasa omnibus præferuntur,cum etiam argentum,& aurum non eos sustinerent ignes,quos vitrũ,luto oræsertim incrustatũ; neque figulina meliora sunt, potissimũ cũ vitro sunt oblinita,& acriores materias destillare volumus; acetum enim cũ destillaremus ijs vasibus omnem detraxit plumbi materiam, quę in ipso vitro,quo erat vas obinitum, continebatur. Non desunt et qui vasibus ex ære; atq. etiam è stamno vtantur, quę licet præstẽt plumbeis, tamen vitreis cedunt. Nam quæ aqua ardens è uasibus ęneis destillat, ea si iterum destillet vitreis, subuiridem in fundo circulum,&inferius,cinereum puluerem,hanc ex stãno, quo ærea oblinuntur vasa, illum ex ęre, relinquet. Nam cum pileus qualitatẽ maximè suam aquis stillatitijs impartiat, propterea quod recipiat halitus, et eos in aquam cõuertat,si sit ex ære, subruffas aquas reddit, & influit in eas nonnihil qualitatis,cuius expers non est. De fornacibus, paucis agam; cum multi eas vt etiam vasa descripserint: nam aliæ sunt quadratę,quæ a plerisq. magis laudantur,quod caliditatem ob angulos, magis feruent: aliæ orbiculari forma. Triplicis autem generis sunt, quantũ ad nostrũ spectat institutum, Destillatoria, Reuerberatoria,& Circulatoria,vt eorum vtar vocabulis: Omnesq.supra ostiolum,ꝙ in fundo est, ferream cratem habent, lateribus furni insertam; cui crati, per ostiolum aliud,supra illud extructum,ligna,carbonesùe imponimus,sic enim vento inferius ingrediente,perspiratuq.aeris,accenduntur, & cinis inconcamerationem inferiorẽ decidens,nihil impedit ignis actionem. Supra autem, vbi lebes est,vel vas in quo cineres & cucurbita ponnntur;quod vas cruci ferreæ parietibus furni infixæ innititur; nisi tamen fundo detecto uelimus ignem adhibere, foramina quattuor, iuxta angulos, si quadrata sit fornax,fiunt; quæ cũ omnia aperiuntur, ignis habetur vehementissimus,cum epistomijs suis clauduntnr,debilis;mediocris autem magis,minusùe, vt plura aut pauciora referantur. In rotundis fornacibus hæc foramina paulo supra crucem ferream, è regione lebetis fiunt. Potestque huiusmodi fornax magna,& parua, vo animus fert, fabricari, atq; etiam supra tabulam ligneam,vt circumferri,quo velis, possit. Sunt autẽ qui lateribus crudis, fornacũ parietes extruant, sunt & qui coctis, qui minus probantur: Alij è ferro, quas fornaces nullo negocio circunferunt,aperiuntq. & claudunt. Pleriq. e cemento, cãdido oui, terraq. pinguiore ac bubula; ex lateribus nonnulli cõtusis

&

& stuppa, & stercore equino, ac pingui gleba. Nec desunt qui rotundam quasi turrim excitent, ferrea crate, ostijsq. ac foraminibus, vti supradictũ est; circiter autem ipsam, vas aquæ, vel cineris plenum, contectũ, in quo multæ cucurbitę destillationi aptæ locantur: de quibus & Vlstadius, & Matthiolus, & ceteri complures, tum è priscis, tũ è recentioribus plura scripserunt; quemadmodũ & de reuerberante fornace, quę vti supra de alijs diximus extruitur, pręterquam quòd ab vno laterum, longa, lataq; rima relinquitur, per quã vasis collũ promineat: ad latus verò in quo sunt ostiola, vel potius è regione rimæ, duæ fenestræ fiunt, per quas carbones supra vas immittantur. Vbi vero in fornace fuerit locatum vas, claudẽda fornacis rima, atque item orificium. Pro circulatoria fornace, extruitur turris, geminis ostiolis & crate ferrea, vt dictum de alijs est: ad eius latera duę alię turres dimidio minores, in quarum medio fundus vtriq. ponatur obstructissimus, tribus digitis latis, medię turris craticulã vtrinq. excedẽs. Foramẽ vtriq; turri, in fundi medio fiat, qđ in mediã turrim penetret. Superius propè vasa, subtus, foramen paruum. Media turris carbonibus repletur: atque hac fornace possumus non circulo solum agere liquores, sed & destillare. Lutum quo & lutari uasa et fornaces extrui consueuerunt ex argilla, optimè subacta, stercore equi vel asini siccato, & panni frustulis conficiunt: sunt qui plura addant vti laterũ puluerem, ferri scobem, cinerem, sed illa nobis, vt puto, satis fuerint. Vt autem facilius omnia habeantnr, apponere hic fornacis reuerberatoriæ ac circulatoriæ schemata, operæ precium duximus; nam reliquiæ satis patent.



Au

An præcedere Destillationem Putrefactio debeat, & quæ sit necessaria præparatio. Cap. IX.

NON incongrua dubitatio oritur, vtrumnè antequã res destillentur, eam destillationem pręcedere putrefactio debeat, sic vt res ipsæ, antea, fimo, aut alio quopiam calore extraneo obrutæ, putrescant, quã ex ipsis aqua vitreis organis eliciatur. Putantq. fieri ita debere grauissimi in hac arte viri; Hieronymus Brunsuicensis pſertim, qui cẽtum ferè iam annis, de stillatitijs aquis, cum Medicinã faceret Argentorati, Germanicè, scripsit; nam cum partium diuisionẽ quæramus, quas partes natura iunxit, putrefactio ad eam diuisionem via est: Vt enim mixtio, teste Aristotele, est vnio, ita putredo, dissolutio. Imò si de putredine loquamur, quam descripsit. 4. Meteor. tex. 6. Arist. ipsa opponitur simplici generationi; in mixtorum autem generatione potissimum siccitas cũ humiditate miscetur, at in putredine diuiditur; est enim putredo corruptio propriæ & naturalis caliditatis in vnoquoq. humido, ab aliena caliditate, quæ ambientis est: tuncq. passiuæ qualitates, actiuas superant, & innati caloris defectu, humor vnà cum calore foras euocatur: Quamobrem ex humefactis corporibus, futuræ putredinis, aut iam pręsentis indicium sumi potest; fieri.n. humidiora, quæ putrescunt, videmus, teste Arist. 4. Meteo. 4. q̃ ut dixi, humor innatus foras euocetur; quæ magna videtur ad destillationem via, ac potius destillationis initium, qua humor elicitur, ex sentẽtia præsertim Montani. Ad hęc accedit summorum hac in re virorum auctoritas; nam Raimundus Lullius, qui hanc artem maximè illustrauit, antequàm è vino, & ex herbis aquã destillatione eliciat, eas, quadraginta diebus, in fimo equino, loco calido, atque humido ponit, vt putrescant, quem posteriores secuti sunt, Philippus Vlstadius pręsertim, qui de auro potabili; librum, Cęlum Philosophorum vocatum, nouissimè scripsit, vt cum de Chelidonij aqua, & quincta, vt aiunt essentia, loquitur, quam prius putrescendam curat, seu, ut ipse vocat, fermentandam, triũ hebdomadarũ spacio. Non est præterea ignotum putredinem attenuare; vel Platonis testimonio, quod Galenus 1. de simpl. med. facult. cap. 35. adducit; nam de ijs quæ sa-

pore

pore sunt acri verba faciens, eadem vere ista, inquit, interdum a putredine attenuata, angustas ingrediuntur venas, acidusq. inde sapor emanat: & Euonymus Philiatrus refert, mulierem vidisse, quę tuberculis faciei liberata est, sola lotione aquę destillationis fragorum, cum tamē illa, priusquam destillarentur, sub fimo in vitreo vase, computruissent. Videmus etiam aliqua non solùm putrefacta, sed combusta, vim suam retinere, vt doctissimus Ioann. Ferneljus Ambianus, lib. de abditis rerum caussis. 2. probat. nam qui ex hydrargyro exusti one fit puluis, præcipuas illius uires habet. Vstarum cantharidum cinis, urinas abundè mouet, estq. ut cantharides, deleterium. Cancrorū ustorum cinis, demorsorum a cane rabido amuletū est. Putrefactio autem, & combustio non admodum inter se distant, cum utraq. à caliditate aucta initio fiat, & in cinerem utraq. desinat, neq. tamen non differt, nam fit putredo a calido humido, combustio a calido sicco: Putredo nō solum fit a caliditate, sed & a frigiditate interna, quod combustioni non accidit, & utriusque qualitatis cōmunis passio est, ut ait. 4. Meteor. Arist. neq. n. ob id solū differunt, q, ut pleriq. putāt, una fiat subito, ipsa scilicet combustio, paullatim uerò putrefactio. Sed est profectò mirū, qua ratione herbas, ac flores; nam idem de floribus faciunt, & de piris; ad putrescendum ponāt, quæ leuioris, ut ita dicam, substantiæ sunt, cum tamen Vinum, Acetum, Mel, vt patere ex Vlstadio potest, hæc ab illis nequaquam patiantur. Quæ enim maior in illis, quàm in his sit partium commixtio, non intelligo: siquidē simplex expressio, succum ex herbis colligit, quod & decoctio imò infusio facit; uidemusq. eum esse partium in melle nexum, ut simul omnes ascendant, nec nisi magno labore aqua à reliquis separetur. Est autem putrefactio, uti Galenus optimè describit. xi. Method. cap. 8. mutatio totius putrescentis corporis substantiæ, ad corruptelam, à calido externo: quæ definitio longè præstare Aristotelicæ creditur, quòd per ipsam rei formam sit descripta, non enim est putredo propriè caliditatis naturalis, sed ipsius rei substantiæ corruptio aut interitus, φθόραν Græci dicunt: Quamquam non ob id maximus Philosophus Aristoteles redarguendus est; cum. n. terminum ipsum putredinis Galenus definiuerit, quæ est rei uelut forma, Aristoteles pro præuia alteratione iuncta termino eā descripsit, definitione planè causali, nō ratione tantùm termini, qui est interitus formæ substantialis

stantialis mixti, sed & ratione uiæ ad terminum; quæ via, dissolutio est humidi à sicco, antecedens dissolutionem substantiæ, & ad corruptionem ac defectum propriç caliditatis nullo medio sequitur. Quæ cum ita sint, ex putrefacta iam florum, herbarumq. & ceterarum huiusmodi rerum substantia, id autem est, corrupta, quo modo aqua elici, & liquor, qui uires illius integras, ac potius puriores referat, ac conseruet, non uideo; & quemadmodum in uino putredo, ad acidum saporem ita illud adducit, ut sit ad destillandam inde aquam ardentem ineptum, ita de alijs quamquam minus pateat, existimandum est. Tametsi in hoc dubitationi haud quaquam leui esse locus potest, cur elici ex putrido, corruptoq. uino, aqua ardens possit, ex uino acetum iam facto non possit, cum vtrobiq. sit putredo, ac in illo fortasse maior, quàm in acido: nam vti pulcherrimè docet Galenus lib. 4 de simpl. med. facult. cap. 3. in acido vino non omnes partes putruere, imò neq. ipsa vini substantia; vinosæ enim vini partes, dum ipsum in acetum transit, refrigerantur, at aqueum recrementum putrescens adscititiam caliditatem obtinet, velut cetera omnia quæ putrescunt, fitq. acetum quiddam ex contrariæ facultatis partibus compositum, partim refrigerantibus, partim calidis, Habet enim vinum recrementũ aqueum, quod toti ipsi permixtum est, hocq. potissimum primarioq. feruet. Sed respondere possumus, in uino, quod in acetum iam transijt, ita ipsam vini substantiam, vinosas scilicet partes, refrigeratam, vt innatum calorem omnem, ob idq. naturam vini amiserit; natura enim est, quantum ad propositum nostrum attinet, vt 3. Aphor. luculenter Galenus explicat, propria cuiusq. rei temperatura quattuor elemẽtorum, idemq. est, quod rei substantia, vt ex initio libri de natura humana, satis patere potest. Id in putrefactione non contingit, quæ præsertim nõ peruenit ad terminum, qui est terra, & cinis. Humida enim primò fiunt, quæ putrescunt omnia, tandem verò sicca, vti ex 4. Mete. tex. 4. & 6. habetur. Cum enim quidquam putrescit, fit humidius, euocata scilicet humiditate ad superficiem; non est autem tunc impossibile, ignis actione eandem humiditatem, vt Raimundus lib. 1. de Quincta essentia testatur, vitreis organis elicere, quæ tamen impurior sit, & nidorem quendam à putredine iam incepta, contraxerit; Quod facile in aqua ardente, ex iam putrescente vino extillata, percipi potest; si quis enim eam

gustauerit, vel postquam exarsit quod remanet humoris, aut in quo fuerit, locum olfecerit putredinis odorem sentiet, sic ut minus apta tuendæ ualetudini, pellendisúe morbis uideatur, nisi repetitis destillationibus plurimis, accuratè expurgetur. Itaq. diligenter animaduertant, qui vendibili passim ardente aqua utuntur. Patere autem ex ijs facile posse putauerim, detrimentum potius, ac incommodum ex putrefactione præcedente, quàm commodum rebus, quæ destillatione puriores, ac tenuiores fieri curamus, haberi; in herbis præsertim ac floribus, dum eius vires integras requirimus. Quamobrem non possum cum Raimundo Lullo, Ioanne è Rupe scissa, Guainerio, & plerisq. alijs doctissimis viris sentire, cum putrefactionem huiusmodi destillandis rebus præponunt, & longe minus cum ijs, qui salem admiscent, præterquam enim quod contraria velle videantur, putrescere, scilicet & non putrescere, è sale potest aliquid elici, ab eo diuersum, & forte aduersum, quod quærimus ac destillamus. Quamquam autem Vlstadius putrefactionis loco, fermentationem dicat, non tamen quid à putrefactione diuersum asserit, quando fermentum ipsum, quod ad rem hanc attinet, uti Galenus. 5. de simpl. med. facult. cap. 17. docet, ex putrefactione vires habeat, quod patet in attractione: licet si solam fermentationem intellexisset Vlstadius, non utiq. mea sententia à vero abhorreret; non quidem in ijs, quæ facilè putrescunt, euanescuntq. uti fructibus, floribus, ac herbis, sed cum plura miscentur, è quorum mutua actione, quiddam quasi tertium educitur; ut cũ aromata aquæ ardenti immiscemus, aquam paulopost destillaturi: At non dierum hic aut mensiũ, verùm horarum aliquod spatium satis fuerit; atq. idcirco Thadeus ille Florentinus, cuius ea fuit virtutis fama, vt ad medendum, extra Vrbem Bononiam, ubi profitebatur, ac decessit ferè octogenarius; vocatus, non vilius quàm aureorum quinquaginta mercede in singulos dies, peregrinaretur; vocatusq. ab Honorio Quarto Pont. Max. centum statui sibi voluerit; itaq. reuersus, ab eo iam sanitati restituto, decem millia reportauit. Hic inquam Thadeus, dum aquam ardentem compositam elaborat, aromata in simplici ardente posita, octo horarum spatio macerat, & quasi fermentat. Hæc autem maceratio, quæ fit vt res attenuẽtur, ac misceãtur; calidi & humidi opus est, cuiusmodi est balneum Mariæ, vel equinus fimus, aut oliuarum recrementa,

postquam est oleũ detractum. Ceterùm aromata, & lachrymas, quæ in ueram putredinem transire uix queunt; nonnihil amplius quandoq. maceramus, ac fermentamus, vt dum ui caliditatis simul ebulliunt, unius in alterum actione, melius, uti memorauimus, misceantur. Neq. intelligo, quo modo summus in re medica uir, Ioannes Baptista Montanus Veronensis; si modò ea Montanus dixit; artem paruam Galeni explicans, dum loquitur de medicamentorum compositione, asserat, vbi fit cõpositio mixtorum, chymistas quærere tertium resultans, ut puta aurum, argentumùe, & illam compositionem, vocare putrefactionem, Philosophos verò, mixtionem. Fermentationem quoq. fieri à solo calido, vt chymistæ operantur, cum duo sicca, aut plura componunt, locantq. arenoso loco & calido, vt calor igneus extrinsecus accedens ad intima penetrare, deducereq. ea ad actum possit; qua actione fit fermentatio, & tertium quoddam. Hęc omnia ipsi Arnaldo Villanouano, Raimundo Lullo, & ceteris, qui hac de re scripserunt, ualde repugnare videntur; vt omittam magnum illum cognomento & re Albertum Sueuum, ortum ex nobilissima Principum Bolstandiensium familia, non rusticum, vt pleriq. falsò tradidere, & celeberrimi ordinis Dominicani insigne ornamentum. Hic enim Albertus & secundo de Generatione, & Quarto Meteor. apertè huic Montani sententiæ repugnat. Est enim fermentatio, teste Galeno. 1. de simpl. med. facult. cap. 35. Ebullitio; quæ absq. humore fieri nequit, vt ibidem à Galeno adductus Plato, docet, & abundè colligi ex Galeno potest, in primùm Prorrhet. comment. 2. tex. 40. Nam tria in fermentatione adsint necesse est; Terrea pars, quæ in maiorem molem attollitur: Humida, quæ gignere flatus possit, à quibus flatibus, perinde ac a tertia parte in sublime tollatur terrea, humidaque substantia; Quamobrem cum acetum acre in terram effusum, eam fermentat, id autem est, ebullire facit, id non tenuitati, non frigiditati, sed humiditati aceti Galenus adscribit. Addere autem hic libet, quæ scribit de pestilentia sermonem faciens Antonius Guainerius Ticinensis, qui cẽtum quinquaginta abhinc annis, & Marchioni Montisferrati, & magnis alijs Principibus viris medicinam fecit, & multis in Gymnasijs magna laude medicinam professus est: Aquã enim hic clarissimus Medicus describens, quam fermentatio præcedit, dum, inquit, res illæ sepultæ permanebant, in eis quædam

est facta fermentatio, demum per destillationem noua in eas inducta forma est, per quam, non ratione qualitatum quattuor sed quia tale, ut auctorum nostrorum modum loquendi insequar, cuidam pestem inducere valenti, opponitur corruptiuè: modus namq. huius optimæ fermentationis elici potest à Mesue cum de coctionis medicamentorum differentijs loquitur, docetq. quo modo coctio facultates medicamentorum diuersas, omnium optimè permisceat. Verùm ut eo reuertamur, vnde discessimus, quæ facilè euaporant, facileq. corumpuntur, earum destillationem nulla præcedere putrefactio, aut ne fermētatio quidem debet: ceterorum quæ difficile corrumpuntur, quæq. miscere animus est, pręcedere putrefactio non debet; fermentatio pōt, sed magna cura, ne putrescant. Quamobrem melius aqua fragorū Conradi Gesneri, si is Euonymus est, ut scribit Card. mulierem illam suam faciei tuberculis, mea sententia liberasset, nisi putruisset; quamquam potuit putrefactio, ut minus fragorum seruare uires, ita adepta acuitate magis abstergere. A putrescente enim omni medicamento, destillari, ac secerni acutum aliquid, & naturæ humanę inimicum ac pingue, & alienum ab eo, quod putrescit, necesse est: Quod & Hieronymus Cardanus lib. x. de Varietate rerū, parum forte sibi deinde costans, animaduertit. De cancris, cantharidibusq. vstis, quæ afferuntur, ad propositum nobis sermonem non faciunt: in ijs enim non est dubium, quin acrior caliditas reddatur; in illis ad proprietatem substantiæ Galenus recurrit, adeo vt rationem Pelopis pręceptoris sui, non recipiat: ea autem proprietas in viuentibus, & nequaquam vstis forte non inesset. Hydrargyri autem puluerem, quē in medium attulerunt, tantum abest, priores seruare vires, vt aduersas potius habeat; neq. enim caliditate nimia argētum viuum fluens exurit, neq. corrodit, ac potius pondere deorsum ruit suo, uti cecinit eleganter vir consularis Ausonius Gallus, Ausonij Medici clarissimi filius; pręterquàm q cū magna dissensio sit, vt refert Differen. 151. Conciliator, Argentū viuū calidumnè sit, vt etiàm opinatur ex recentioribus Nicol. Massa, an frigidum natura, an ex frigidissimis calidissimisq. partibus conflatus, vt Fracastorius sensit; & maiora sint eius frigiditatis indicia, nihil in nostrā sententiam efficere adducta exempla possunt. His autem omnibus illud etiam patere arbitror, nempe nequaquam conducere, ut omnis aqua

semel

semel destillata, denuò, aut etiam tertiò fæcibus suis tritis superfundatur, & per duos, aut tres dies putrescat, atque iterum destilletur; nimis enim acris, & à natura sua aliena fieret; licet secus Brunsuicensis senserit, atque item Euonymus. Ceterum licet putrefactio non sit, ita uti diximus, passim adhibenda, aliqua tamen ante paranda sunt: nam pleraq. exiccanda, antequam destillentur, quędam humidiora reddenda. Humectatione, sicca egent; Humida, siccatione. Ex siccis, ut humidiora fiant, & aptiora ad destillationem, quædam sola cuiuspiã humoris aspersione parantur, ut rosæ, vt ceteri flores sicci; aliæ infusione, nempe quæ sicciore natura sunt. Nonnulla in linteo extensa, æstiuis noctibus, sub diuo, exponuntur, vt rorem excipiant: Itaque, & tempus quo infusa manent, & liquoris genus, in quo infundi debent, non vnum est. Duriora ac scciora, atque integra indigent spatio longiore, quam molliora, viridia, ac contusa: Quamobrem semina ac radices diutius duplo quàm flores & folia infundantur, necesse est. Liquorum genus, in quo infundi res debent, respondebit, & artificis scopo, & earum rerum viribus, quæ infunduntur, sic ut calida, calidis, frigidis frigida imponantur, nisi peculiaris ratio secus suadeat: Consueuere autem plurimum esse, aqua ardens, aqua pluuia, succi ex herbis, acetum præsertim stillatitium, aquę stillatitiæ, lotium, sanguis, stillatitius potissimùm: Nam ut stillatitius liquor magis vim earum rerum, è quibus manat, seruet, proprio succo, aut conformi infunditur: quæ ad calculum faciunt, in sanguine hircino, quæ ad renum ulcera, aut vesicę, in sero caprino. Hinc fit, vt ea quæ modico succo sunt prædita, vt betonica, vt saluia, ut absinthiũ, item odorata, vt cinnamomum, vino infundantur, illa quidem ad excitandum, augendumq. succum, hæc verò vt odorem conseruent, qui facile ab igne, ob substantiam eorum pertenuem, euolare potest. Metalla, & quæ duriora sunt cetera, vti margaritæ, coralli, ouorum cortices, crystallus, smaragdus, hiacynthus, & alia huiusmodi, aceto infunduntur, aut lotio, crudis, aut stillatitijs. Antea verò quàm infundantur, sunt minutim concidenda, & contundenda, & ijs quæ humidiora sunt, vt carni, & sanguini, duodecima pars salis addenda: sic enim & putredini resistitur, & qui destillari debet humor facilius separatur.

De separatione Elementorum. Cap. X.


QVI putant è rebus compositis sic elementa, Destillatione, separari, ut ipsa pura sint, quemadmodum suis in locis Philosophi asserunt reperiri, ij dubio procul falluntur: nam cum non vna sit ratio separandorum elementorum, si eorum naturā conspiciamus, videbimus ea non esse elementa, nedum vt pura, simpliciaq. sint: Satis enim constat, ignem esse leuissimum, tamen in quibusdam, quod leuius est, primoq. loco educitur, aquam sapit: Quemadmodū enim in educenda è vino aqua ardente, primū quod exit, leuius est, & calidius, sic vt in eo seruari optimè ratio ignis videatur, ita in aceto, chalcantho, sulphure contra accidit: Quod primò educitur, aqua est, postremo exit pars acrior, & calidior, nec nisi vi ignis maxima exprimitur. Quòd si dicas esse leuissimum, at postremum exire, ob magnam connexionem earum partiū in mixto, id nequaquam verum videtur; quia cum mixtum æqualiter sit, eadem difficultas esse, in aqueis partibus separandis deberet Imò in ijs, quę ad ignē ipsi referunt, & re ipsa quasi vrunt, vt in oleo chalcanthi, sulphuris, & huiusmodi, adstrictionem acerbitatemq. quandam gustu percipimus, quæ terreum quiddā inesse nobis apertè significant, & in aqua posita, aliqua eorum descendunt. Itaq. ratione primarum qualitatum, quas præseferunt similes elementarijs, elementa dicuntur, cum tamen composita & ipsa sint, ex quattuor elementis, purissima tamen, & simplicissima, quantum fieri in compositis humano possit ingenio; Ipsiq. met eius artis proceres, Raimundus Lullius præsertim, eo libro, cui Codicillo nomen est, ad Odoardū Britanniæ Regens scribens, mirabilesq. destillationum subtilitates docens, ignem, & aerem post aquam detractam ac destillatam primò duplici vase, postea cineribus, asserit, remanere in fundo ad modum substantiæ oleaginæ plurimum lentę, quam deinde abluit miris penè modis, & ui ignis in calcem redigit. Quæ satis ostendunt omnia, crassiorem partem, quæ vi ignis maiorem acrimoniam adepta est, & ratione crassitiei maioris, quantum haberi in ea tenuitate potest, maiorem acquisiuit efficaciam; sortitam fuisse nomen ignis, tùm quòd magis calefaciat, tùm quòd rubro colore inficiat; Huc accedit

cedit, quòd non ignem solùm aeremq. & cetera elementa eliciunt, sed aquam ignis, aquamq. aeris: aquam ignis eam appellantes, quę post primam exit, quia, inquit Raimundus, calidior prima est. Quare satis patere puto, hęc quę vocantur elementa, è rebus, quæ destillantur separata, nō esse pura ipsa simpliciaq. elementa, sed concreta corpora, admodum tamen tenuia, hoc nomine ab ipsis, quæ excellunt facultatibus, vocata. Quod etiā eò magis confirmari videtur, quod scribat magnus ille Philosophus Auerroes. 4. Meteor. c. x. Elementa non inueniri in locis suis simplicia, & pura, quanto igitur minus in ijs, quæ concreta, ac mixta sunt? Aliquorum etiam Philosophorum insignium opinio est, elementa, cum pura, & simplicia sunt, ad mixtionem nullo pacto conferre, quoniā cōmisceri nequeant; cum. n. sic sunt, alterari non posse, sed vniuersi partes existere. Quamquam vtrum ne hęc sit opinio vera, alterius negotij est disputare.

Quæ generatim sint, eorum, quæ destillatione eliciuntur, vires. Cap. XI.



Q Vod 3. de diebus decretorijs. cap. xj. dicebat Galenus, ut in alijs omnibus duplex vitij cuiusq. ac prauitatis natura est, excessus, & defectus, ita duplicem video hac quoq. in re hominum opinionem; plerìq. enim pulcherrimam hanc & admodum vtilem artem deridentes, omnia ferè ipsius reijciunt, nullasq. stillatitios liquores referre vires, eorum, vnde destillant, opinantur; in quibus primum fuit, qui palinodiam deinde cecinit, Hieronymus Cardanus, cum de malo medendi vsu scriberet; Post ipsum Marcus Oddus Patauinus Medicus eruditissimus. lib. 4. de pestis & pestiferorum curatione. cap. 8. eum librum perficiens, cui moriēs Oddus pater, finem imponere non potuit; nisi omnia forte ad plumbi malignitatem referat; quod ipsum quoq. est à veritate alienum, quando frigida, frigiditatem; vt secundas ac tertias qualitates taceam; vel plumbeis vasis destillata seruent. Odores autem ac sapores, quæ in liquoribus destillatione exceptis seruantur, certissimè ostendunt, vires in ipsis seruari. Contrà, alij, huic arti nimium addicti, qui uel montes aureos pollicentur,

adeo

adeo quoscunq; liquores destillauerint, extollunt vt etiã contrarias illis tribuant vires, calefaciendi, refrigerandiq; siccandi, & humectandi; adstrigendi, ac laxandi. Itaque ut dicam, quod rem esse puto, illud primum satis constat, quæcunque destillãtur, cum experiantur vim ignis caliditate, ac tenuitate, aut certe minori frigiditate insigniri. Quemadmodum enim, ut Aristo. 23. sect. Problem. docet, ab Hippocrate sumens libro de Aere, aquis, & locis, Sol partem humorum leuissimam, & vt Hippocrates ait, tenuissimam, assiduè detrahit, educitq. sursum ac rapit, ita ignis, quòd leuius ac tenuius est, sursum ad pileum, cucurbitæ impositũ, vel quò patere potest exitus, effert: quamobrem necessariò asserendum est, quicquid ui ignis destillat, tenuius seipso, & calidius esse, aut saltẽ minus frigidum; idq. eò magis, quò vehementiorem ignem, acrioremq. expertum fuerit; cuius rei argumento esse illud etiam potest, quod scribunt, Moscouitas, cum vino careant, vti aqua stillatitia Auenæ, quæ, licet temperamento sit paulo frigidiore, eius tamen stilatitia aqua, non minus calefacit, aut inebriat, quàm vinum; quòd destillatione, tenuior & acrior reddatur, & ad aquæ ardentis naturam accedat. Imò apud Tartaros referunt, aquam è lacte stillatitiam, inebriare; forte autem lac densius esse oportet, & moram penes ignem contraxisse, & ex lacte forsan equino; neque enim clam me est, Aristotelem. 4. Meteor. asserere, quòd supra meminimus, lac non inebriare, quod spirituosum non sit, vti neq. aqua. est autem aliud spiritus, aliud vapor. Non est etiam incompertũ, cum rerum proprietates, aliæ materiam magis cõsequãtur, aliæ magis formã; quamquam actiones omnes suppositorum sunt, & præcipuè propter formam accidunt, vt eleganter. 2. de Anima. c. 24. docet Auerroes, cum in destillatione quod tenuius est, excipiatur, subsidat autem quod crassius est, materiæq. vices refert, in rebus stillatitijs magis seruari quæ à forma sunt vires, minus autem quæ à frigiditate prodeunt. Itaq. si quis validiorem putat vim adstringendi, stipandi, densandiuè, aut roborandi, ac detergendi, ceterarumq. huiusmodi facultatum, quæ à materia pendent, in liquoribus stillatitijs, quam in composito fuerit, is, mea sententia, valde decipitur; tenuior enim pars tollitur in sublime; crassior, vnde vires hæ prodeunt, in fundo relinquitur, vt diximus. Nam Galenus etiã. 4. de simpl. med. facul. cap. 7. differit, adstringentia terrena esse,

&

& crassa corporis consistentia, qualitate vero frigida; Quoniã vero ratione adstrictionis roborant, vti ex Galeno colligi potest. 1. de compos. med. secundum locos cap. 6. multisq. praeterea locis, hinc fit, minus roborare, quod per destillationem elicitur, quàm totum ipsum concretum; quamquam ratione tenuitatis, cum magis, stillatitia, penetrent, videri possint quãdoq. magis adstringere, ac roborare, cum tamen secus se res habeat; quemadmodum enim ea, quorum est substantia tenuior, temperamentũ vero frigidũ, aquam emittunt, viribus sibi haud dissimilem, ita quae crassiora sunt nequaquam eam vim seruãt, quae illis inerat, crassarum partium ratione. Contrà quae à forma prodeunt actiones, vt calefacere, attenuare, digerere, aperire, flatus discutere, & huiusmodi reliquas, egregiè, & supra quam dici potest, celeriter liquores stillatitij efficiunt; atq. hic huius est artis laus praeclara; cum à sordida materia, quae esse impedimento solet, secernat. Quamobrem Ioannes Manardus, in oleum Philosophorum Mesue scribens, quod destillatione excipitur, ut vero, inquit, ego scribam, quid de hisce rebus sentiam, dicam, vbi opus est uehementer calefacere, & ad intima usq. accedere, nullam naturalem rem posse his oleis, p hanc artem elicitis, conferri; adeo vt etiam uim ignis & aequẽt, & superent. Vidi enim his oculis guttam cuiusdam olei fortuito cadentem, lectisternia omnia, quae multiplicia erant momento penetrasse, & lecti fundum, qui erat ex asseribus, inussisse. Haec clarissimus uir Manardus. Itaq. mihi suspectus semper admodum fuit, pro cauterijs, fonticulisq. in humanis corporibus faciẽdis, vsus olei uitrioli, ac sulphuris, quibus aliquot grauissimi uiri usi sunt, & ea maximè probant. imminet enim periculum, ne ob substantię tenuitatem vlterius, quàm uellemus, ad neruos ac tendones penetret, vratq. & inflammationẽ pariat. Illud tamen animaduertendum est, quod in arte medicinali Galenus, quam paruam appellant, scribit, perpendendã esse materiam eorum, quae refrigerant, & humectant, ac siccãt, remediorum; ut enim haec intus penetrent, tenuiori esse debent materia. Quęrebant ibi Achacias & Montanus celeberrimi interpetres, cur non in calidis etiam remedijs id perpendendum esse Galenus scripserit; Quoniã, inquit pręclare Montanus, si obstructionem ab humoribus genitam expedire animus est, id calidis facimus, quorum sit substantia crassior; quo

niam si tenuis fuerit, perforabunt velut acus, nec aperient, neq. validam diuturnamq. actionem efficient, quod materia cito digeratur, neq. toto exercitu irruptionē in hostes faciant: est enim perinde ac ignis paleæ, non lignorum aut ferri; quē paleæ ignem Virgilius sine viribus appellat, cum ait 3. Georg.

Vt quondam in stipulis, magnus sine viribus ignis,
Incassum furit.

Quamobrem lib. VII. simpl. med. Galenus, de cedro ac cedria scribens, Dioscoridē imitatus, Quod eius, inquit, cedria est pinguissimum, & ad vnguem oleosum, quod suspensis supra eam, dum coquitur, lanis excipitur, ac colligitur tota cedria tenuius quidem est, sed minus acre, quamquā non minus excalfaciens. Eandem quippe rationem habet ad id quod reliquum est cedriæ, crassius illud uidelicet quam oleū ad amurcam. Proinde illud, ut pote crassius, mordax est, & maiore aperiendi falcultate præditum. Hec Galenus. Quibus uerbis ut a dūbrare destillationē aliquo modo uidetur, ita satis constare potest, eam ignorasse, cū ijs locis adeo opportunis nullū de ea uerbum fecerit. Quamquā gradus etiam insunt in ipsa tenuitate, quæ n. recurua cucurbita destillant, ea crassiorem materiam afferre possunt; tenuiorem, quæ recta: & quò longiori collo fuerit, eò tenuior euadet substantia, multoq. id magis, si repetatur destillatio. Igitur si hæc destillatitia in materiam crassiorē incurrerint, ut in coli doloribus, urinę difficultate, ceterisque huiusmodi affectionibus frequenter accidit, ægrotorum sæpe expectationem fallunt; atq. hæc in ijs, quæ inferius dicemus remedijs, perpetuò intelligenda fuerint. Cum autem ex unoquoq. tum stirpium, tum ceterorum uiuentium genere, substantiæ eliciantur planè uariæ, primum quidem aqua, enq. uberior, si stirps uiret, parcior si arescit; deinde oleum, idq. duplex, unū tenue, & albicans, alterum siccius atq. rubens; Auctor est lib. 2. de abditis rerū causis, cap. 18. Fernelius, totius substantiæ proprietatem, infirmiorem in aqua esse, quę præsertim è stirpe viridi elicitur; in ea quippe humor exuberat alimentarius, nondum stirpis vim omnē, ac proprietatem adeptus: efficaciorē in oleo, multoq. in rubente, quam in albo. Verùm hęc si absolutè intelligantur, nonnullas difficultates pati videntur, cum varia ac multiplex sit earum, quas quærimus, proprietatum affectio-

fectionumq. natura. In aqua enim ardente, in aqua rosacea, in ceteris aquis, è floribus, herbisq. magis in aqua, quæ primo stillat, seruatur proprietas rei; quæ validiore igne periret. In metallicis ac mineralibus vocatis secus est; quòd eorum substantia densa est, & à materia maximè proprietas pendet. Idcirco ad Crateuam scribens Hippocrates, Quæ, inquit, folia, aut flores, aut radices sunt medicamenta, in fictilibus nouis probè obturatis seruantur, vt ne uentis perflata, medicamenti vigorem, ue luti in animi deliquium collapsa, amittant: Quod nobis significat, in tenuiori parte sitam esse eorum proprietatem, quando etiam aeris ambientis exustione uires amittant; vt docet, cum de colligendis herbis loquitur, doctissimus Matthiol.

An vt calidissimum medicamentum destillatione fieri potest, ita & frigidissimum. Cap. XII.

LICET videatur hæc ars, nihil circa frigida remedia posse, cum in igne tota, caloreq. versetur, sunt tamē qui id costanter affirment; ipseq. in primis Raimundus, cum Quinctam essentiā suam, perinde ac materiam quandā primam constituit, quæ omnes possit formas recipere, & quasi Proteus ac Chamæleō in omnes colores, figurasque mutari; posse etiam summè frigefacere non negat: applicitis enim his, quæ non solum primo alteroùe, sed tertio ac quarto excessu frigida sunt, ipsi Quinctæ essentiæ, maximè frigefacere nititur. Ad hæc re ipsa factum comperimus, nā apud Euonymum Philiatrū, Conradus Gesnerus, si is eius libri auctor est vt affirmat Cardanus, legimus è floribus sambuci, nympheæ, sē. portulacæ, lactucæ, folijs solani, virentibus, stillatitiā aquam, Quinctam essentiam frigidam appellatam, quod aquæ vitę aduersa constituatur, quæ adeo frigefacit, ut pānus ea madidus in igne non comburatur. atq. id forte non iniuria, nam si destillatio, substantiam puriorem atq efficaciorem reddit, cur si herba, aut quidpiam aliud destillauerit, quod summè sit frigidum, non maximè frigefaciet? Id est profectò verū, sed de calidis quod diximus, id non est in frigidis omittendū; nam quamquā Galenus in his, crassas potissimū partes fugiat, quia stipent, sibique ipsis uiā obstruant, tamē quæ tenuiora sūt, ob ipsius tenuitatē

F 2 sub-

ſubſtantiæ penetrabunt quidē, ſed minus frigefaciēt, minuſq. ſtuporis inferent. Itaq. quod ad hāc rem attinet, audacius uti aquis frigidis ex herbis deſtillatitijs, quā earundē ſucco, in quo craſſiores partes ſeruātur, licuerit; calida autē ſimul adhibita, temperāt quidem ac minuūt frigiditatem, atq. idcirco maiori quantitate poterunt frigida pręberi, ſed uias aperiunt, & frigida quaſi manu ducūt, quò eundū eſt; Quēadmodum in Philonio cōſpicimus, ubi licet plura calida, quā frigida ſint, ſi Syluio & multis alijs doctiſſimis viris credimus, qui piper albū ponūt, aut certe nō multò pauciora, maximè tamen frigefacit, ꝙ vbi calida uias aperuerint, & duxerint ad locum ſuū frigida. ob tenuitatem ſubſtantię euolent, frigidaq. vt ſtupefaciant, ſinunt. Itaq. ſummo iudicio, qui ſomnū conciliare voluit Tarentini Principis medicus egregius, Saladinus Aſculanus, è recenti opio, nudiſq. allij capitibus aquā vitreis organis ſtillatim excipiendā iubet; nam præterquam ꝙ allium abdita proprietate ab opio fætorem remouet, aditū etiam in caput parat. Haud diſſimiliter ij faciunt, qui ad eundem vſum, opij & metellæ nucis pares portiones, cū nigri hyoſcyami ſemine, aqua lactucæ diſſoluunt, ſub fimòq. vt nonnihil macerentur, obruunt, tandem deſtillatione aquā eliciunt. Idem ſed minus efficaciter, mandragoræ, ſolanique aqua poteſt; nam aquā ſtillatitiam adeo frigidam, efficacemq. fieri poſſe minime putauerim, ut caliditatē extinguat, corq. ipſū conglaciet, ceu opium & cicuta; aut uias obſtruat, anhelitumq. intercipiat, quod plumbum vſtum facere teſtantur; Duobus.n. his modis, ut lib. de Venenis Conciliator docet; frigidū uenenum interficere hominē poteſt. Tenuitas ſi quidem ſubſtantiæ, quā deſtillatitiæ aquæ ſeruant, poterit à calore naturali ſuperari, & in halitus diſſolui, quemadmodū de calidis in ſubſtantia tenui, cū frigidis in Philonio mixtis diximus Quamobrē neq. cum Quincta eſſentia quæ miſcentur, uel quarto exceſſu frigidą, ſummè refrigerare, mea ſententia, poterunt, quòd ab ipſa Quincta eſſentia caliditatē aliquam percipiant: neque quod in Philonio diximus, illis accidet, quia tenuis etiam ipſorum frigidorum ſubſtantia, ac ſola quaſi uis, cū ipſa Quincta eſſentia miſcetur; cum præſertim appellata ab ipſis Quincta eſſentia, nil aliud, vt opinor, ſit, quàm aqua ardens omni prorſus phlegmate liberata. De Quincta eſſentia frigida Geſneri, ſeu Euonymi, quæ diximus, uera eſſe poſſunt, aliqua

ex parte,

ex parte, nequaquam tamen omnia; refrigerare poterit aqua illa, quod ex frigidis eliciatur, non autem summè, tū ob substantiæ tenuitatem, tum ob repetitā, ipsius præscripto, septies destillationem. Fabula autem est plane anilis, proiectam in ardentē Solem aquę huius scutellam, nubē cito magnam, ac densā cōflare, ac calorem solis rapidum, magno tempore, mitigare. Vnde enim tantas vires aqua hæc habeat, intelligi non potest; cū nubes fiat è vapore; & si hæc aqua in vapores extenuetur, rarescet. quod etiam in puerperio mulierum prosit, si ad vuluā adhibeatur, atq. etiam in vterum proijciatur, id verò quam recte scriptum sit, ij dicant, qui nouerint, frigida vtero, præsertim a partu, quā sint aduersa, imò pręter alias noxas poterit sterilitatem adducere. Idē dixerim cum adhibetur ad stipationes iecoris, & lienis a calida caussa, quæ cum stipare, nisi crassior, aut copiosior non possit, quo modo hęc aqua non magnopere lędat, non uideo, præsertim panno ea madente, ad latus ipsum apposito. quis.n. credat, quod scribitur ibi, sanguinem maximè purgare? cum nulla id ratio confirmet, & omnis, ut puto, contrarium persuadeat? In aqua comuni stillatim educta, eandem cōseruari censeo frigefaciēdi uim, quod tamē negare pleriq. solēt, & fortasse etiam maiorē, quam in non stillatitiam: Nam quēadmodum in coctam Neronis, & Alexandrinarum rariorē ac tenuiorem coctione redditam, facilius ingredi poterat frigiditas, neq. solum actu, sed uirtute, ita, atq. etiam magis, est.n. tenuior, in hanc stillatitiam, quæ & aquam pluuiam pari ratione superat.

An vacuantia pharmaca destillatione haberi possint. Cap. XIII.



SVNT quibus fieri id nequaquā posse videatur, quia cum ea, quæ purgant, medicamēta, ueluti scammonium, si nimis terantur, vim amittant suam, corrūpaturq. omnium medicorum sententia, eorum operatio, vt vrinam potius cieant, quàm aluū moueant, ꝙ tenues partes eò ducantur, vt 1. Probl. 44. Arist.; si is fuit eius libri auctor; docuit; In destillatione id maximè continget, vbi summa tenuitas habetur: Præterea cum attractio humorum à pharmaco, non absoluta sit attractio, fiatq. ut egregiè docet. 3. de simpl. med.

pl. med. facul. cap. 25. Galenus, ob similitudinem substantiæ, quæ inter id, quod attrahit, & attrahitur intercedit, dubium nō est, dissolui hanc similitudinem, cū destillatione, pharmaci partes inuicem separentur. Ide dicendum est si Principis Auicennæ, cui plurimum Medicina debet, sententiam sequamur libello de uiribus cordis, cap. x. quod à uirtute medicamenti trahuntur humores: uim. n. illam asserit proprietatem esse ex elementorum mixtione, cælestium influxu, resultantem; quā opinionem grauissimus Auctor Auerroes. 5. Colliget. c. 21. sequitur; dissoluitur autem ea mixtio destillatione; cum terreæ partes, quę in fundo manent, ab aqueis & aereis separētur. Quamobrem. 8. Physic. 35. idem Auer. inquit, Magnetis temperamētum, cum mutatur, non trahit ferrum, sicut dum cum allio fricatur, ut aiunt: Et profectò si rē ipsam intimè uelimus perscrutari, si non omninò tolli; infringi tamen & minui vacuantes uires, destillatione, credendum est. Non est autem modò sermo de ijs medicamentis, quæ comprimēdo uacuant, aut lubricas uias reddēdo, leniendoue, aut eliquādo, sed quæ trahunt: Nam de comprimentibus satis constare ex ijs, quæ supra diximus, potest, uires admodum imbecillas ob destillationē referre, sic ut hac ratione euacuare quidquam uix posse putem; Idem de lenientibus dixerim, quòd caloris actio, cū exiccet, ac attenuet, maximo impedimento futura sit. Itaq. licet caliditas destillatione augeatur, quæ caliditas; ut Galenus tertio illo de simpl. med. facul. cap. 25. docet, licet non sit præcipua attractionis causa, maximo nihilomnius adiumento est, tamen cum quod destillat maximè tenues habeat partes, quæ facilè dissolui, atq. ob id parū morari in stomacho possint, aut nihil, aut omninò parum deijciet. Ad hæc accedit, quod quæ per aluum soluunt terrea esse debent, uti quę per urinas, aquea; quod luculenter Arist. 1. sect. Problem. 4. scribit, declarans cur ex medicamentis alia aluum soluant, vesicam autem minime; contrà alia vesicam soluant cum aluum nihilo moueant. Respondet enim id fieri, ꝙ quæ natura humida sunt; atq. aqua referta, si medendi obtinēt facultatem, vesicam soluunt; subsident. n. in ea humores, qui putredine immunes euaserunt; quippe uesica pro eius humoris conceptaculo habetur, qui minime in ventre concoquitur, ꝙ non manet, nec prius quā agat quicquam, aut patiatur excernitur. At quæ terrenā sortiuntur naturā, si uires habeant medicas,

aluum

aluum hæc fundere queunt, in hanc. n. terrena quæq. materia se prouoluit, itaq. turbat, si mouendi obtinet facultatem. Hæc Arist. quibus facilè, quod diximus, patet. Non iuerim tamen inficias, uti memorauimus, quin aliquid vacuare pharmacum destillatione exceptum possit, tum quod non omninò terrenis partibus liberetur; est enim qui destillat humor, ex quattuor elementis concretus: tùm quod satis compertum sit, decocta & diluta id facere: licet rosæ dilutum soluat, stillatitius liquor non soluat; & lac, Dioscoridis & Galeni testimonio, ex animalibus emunctum, quæ scammonium, aut Veratrum, aut Tithymalum depascuntur, potum, mirificè ventrem deijcere; & non nulli scribũt, oleo, quod ui ignis, ex mirrhę vncia, & aloes libra destillauerit, curua cucurbita, si stomachus inungatur, stuppaq. supponatur, aluũ solui: animaduertendũ tamẽ, cũ eliciãtur destillatione aqua & oleũ, vt oleũ ab aqua, cui superminet, separetur. Quãquàm autẽ neq. locus, neq. consiliũ est disputare, quomodo medicamenta trahant, an ob similitudinẽ substantiæ, vt Galenus, an proprietate quadam, vti Auicennas in Galenum putauit, ea ratione ductus, quia si similitudine traheret, caro carnẽ, & aurum aurum trahere t; opinor enim nihil, quòd à Galeno dissentiat, ipsum dicere: nam & Galenus scribit similitudinem inesse substantijs, non identitatem; contrariũ enim cernimus, nam neq. ferrum attrahit ferrum, neq. caro carnem, sed lapis sideritis ferrum; caro sanguinem, differunt enim mea quidẽ sententia, idem & simile: Illud tamen non omittam, ꝙ ipsa probare facilè potest experientia, Magnetem alium magnetem trahere, cum tamen non modò similis sit, sed eadem specie, quam quã aliqui id ferro, quo magnes tangi, & intingi solet, tribuant, velintq. eius intinctus ratione magnetẽ trahi. Sed hæc in aliud tempus reijcientes, cum præsertim Philosophus, ac medicus clarissimus Hieronymus Fracastorius probabiles admodum causas libro suo aureo de sympathia adduxerit, illud ad institutum nostrum reuocabo, quòd si pharmaca, quę aluum soluũt, vbi diu mixta permansere, debiliora ob fermentationem redduntur, atq. idcirco quæ violenter, ac quarto excessu trahunt, commodius catapotiorũ forma exhibemus, quod plus fermentata sint & minus violenter agant; quæ verò primo, aut altero gradu soluunt, præberi recentia debent, alioqui uis eorum ferè tota abiret; quid seruari in destillatione poterit, quod aluũ

deijciat,

deijciat, nisi admodum exiguum? atq. idcirco, quæ è florũ persicorum scammonij, turpeti que æquis portionibus, balneo Mariæ, aqua, à quibusdam magno arcano, elicitur, modicè admodum soluit, quemadmodũ, & Ellebori nigri radices, purpureos flores habentis; has enim recentes, ardente aqua macerant, inde igne primum leui, mox auctiore, dum liquor ascenderit omnis, destillant. Aqua ardens deinde ab ellebori substantia separatur, igne leuissimo balnei; in eo quod remanet, dissoluitur sacchari candi, quod satis esse videbitur. Datur epilepticis ad grana tria cum aqua mulsa, vel communi, in qua hippoglossum fuerit decoctum, efficacius tamen est, si aqua ardens in qua duobus, tribusuè diebus in balneo optime clausum elleborum maceratum fuerit, non destilletur, sed exprimatur, isq. expressus liquor balnei calore aut solis exhalet, dum mucago in fundo remaneat; cuius pleriq. ad aurei scutati põdus, magno successu præbent. Alij accipiũt ligni aloes, cinnamomi, turpeti, aloes hepaticę, colocynthidos cuisq. drach. 1. cariophyllorum, croci, singulorum scrup. 1. Moschi optimi drach. 1. Iulepi violacei libram, quibus imponunt aquæ ardentis circulo actę libras duas: & vbi macerata fuerint duodecim dierum spatio, percolant, tribuuntq. ad drachmas duas atq. etiam tres: & quãquam hoc pharmacum pleriq. miris laudibus efferant, ego parũ aut nihil ei fido; quòd nimis calefaciat & siccet, plurimum ingratum sit, & minimè aluum cieat, aut certè pusillum; Imminetq. periculum ne huiusmodi medicamentis agitati humores, & tenuiores redditi, nobilioribus partibus imbibantur, aut in penitiores meatus illapsi, magis deinde obstruant; aqua etiam ardens sua siccitate, euacuantem vim infringere plurimũ potest. Pari ratione Regiũ illud ἐκκοπρωτικὸν ex stillatitia aqua borraginis, in qua manna calabra fuerit dissoluta, a magni nominis medico laudatum, minus placet, præsertim cum multa, eademq. faciliora longe illi præstent. Itaq. potius ad corrigendam medicamentorum purgantium vim ac noxam conducere, quam ad augendam putauerim.

HIERO-



HIERONYMI RVBEI RAVENN. DE DESTILLATIONE.

Sectio Secunda.

De Pane. Cap. I.



EQVAQVAM alienum ab hac tractatione nostra fore putamus, ad minus vniuersalia, ab his, quæ hactenus in vniuersum dicta sunt, descendere; idcirco quædam sigillatim in medium adducemus destillatione elicita, tametsi paucula videantur fortasse haud ita propriè destillationis naturam subire. Primus autem nobis occurret panis, è quo aliquot stillatitij liquores eliciuntur ad medicũ maximè negocium facientes: nam panis recentis, atq. uti è furno extrahitur, adhuc calentis, medullam, vitreis organis destillant, eiusq. aquæ stillatitię vncias quatuor epilepticis magno vsu prębent; pleriq. tamen pulueres addunt, quę illi affectui propriæ aduersantur, cuiúsmodi afferunt lupinum dentem esse, ad drachmam exhibitum. Alij panem ipsum in patina alueolòue ponunt, sic vt fundum ne attingat, ligneo crati superponentes, alioq. alueolo aut catino contegunt; & panno lineo ne spiret, aut cito frigesiat, inuoluunt: nam destillat aqua, cuius est ad surditatem vsus; & ad restituendas vires, cerebri pręsertim & cordis, si nonnihil croci addatur. Sunt & qui panem melle rosacco imbruant, ad frigidiores morbos Potest, & panis calens, vti dictum est, generoso vino infundi, inde statim vitreis orga-

nis, tepente balneo, rimis optimè glutine stipatis, destillari liquor, quem pleriq. denuò, eiusdem calore balnei destillant, asseruntq. opportunum huius aquæ vsum, stomachum roborare, putredinem arcere, & sanitatem tueri, quod ob substantiæ familiaritatem non est absurdum; necesse autem est pauco fermento panem ad hos usus adferre.

De Vino. Cap. II.



QVI è vino destillatione elicitur liquor, cum recentiores Graeci, nam veteres ignorarunt, οἰνοσάγμα appellant, Latini vero Aquam vitæ, quòd vitam putent eius vsu seruari incolumem ac diuturnam; quæ duo maximè optare humana mortalitas consueuit: Aquam etiam ardentem dixere, quòd ardeat igne admoto, siq. ea madescat pannus lineus, cùm flamma incenderis, uritur, si multiplici destillatione omni prorsus phlegmate fuerit liberata; alioqui cum ipsa ardeat, lineus pannus illæsus remanet, quod ioci materiam plurimis præbere consueuit: Itaq. cum aqua dicatur, quòd aquæ speciem humoremq. referat, diuersam tamen, ac potius aduersam naturam habet. Est autem pars uini tenuior, ac magis ignea, quam vario organorum genere eliciunt: Plerique enim è plumbo, aere, aut stanno uitem concauam ac multiplicibus giris confertam, vnde & aquā vitis appellarunt, adhibuere; quam ne uis ignis & organi caliditas halitus tenues comburerent, aut dissoluerent, neùe ipsum liquesceret organum, in vase frigida pleno constituebant; quo nunc modo, qui magnam huius aquæ copiam eliciunt, vtuntur; cum tamen alij cucurbitā vitream rectam, cui sit pileus rostratus impositus, rimis optimè stipatis, accipiant, igne inferius leui, ex lignis dulcibus, aut carbonibus admoto: Qui certè maiori laude digni sunt, quàm superiores, quòd metallica illa organa, vti memorauimus, nescio quid valetudini aduersum afferant, longo potissimum vsu, maximè perniciosum. Quòd si vitem illam contortam vitream facerent, longè pręstaret, cū multiplici illo giro, maiorem tenuitatem acquirat: neque enim cum ijs sentio, qui longa illa via, & anfractu, hebescere, debilioremq. fieri vini spiritum, densioręq. amittere substantiam suam putant, cum potius aquea portione

penitus

penitus destituatur: Quamquam si vitrea cucurbita recta, collo, cubitis saltem tribus, longo, aquam detraxerimus, is mihi optimus & compendiarius etiam modus visus semper fuit; nam purissima tãtùm, tenuissimaq. pars, quę alioqui repetitis quæritur destillationibus, vnica habebitur: An verò destillatio persequẽda sit, dum guttarum quasi funiculus, qui in rostro conspicitur, sit continuus, tuncq. desistendũ cum viderimus funiculos illos quasi interruptos, quod Cardanus de rerum varietate lib. x. cap. 50. scripsit, ego nequaquam putauerim, quando non adeo vehementem adhibere ignem oporteat, ut guttam tangat gutta, & idcirco multi candelæ vnius flamma, quòd temperato vniusque modi calore sit, eam eliciũt, & quidem, mea sententia, non ineptè. sunt & qui duplici vase; nempe tepentis aquæ balneo, aut fumo; quod præstat; nam neq. aereæ partes tenuiores dissoluũtur, neq. fumũ, quidquamùe aliud tetri odoris redolet. Vinum præfertur optimũ, & ut inquit Hippocrates, vinosum, nequaquam corruptũ; refert enim, vti diximus, forma, qualitates materiæ vnde elicitur: Sit etiam odoratum, cum mirificè vires odor reficiat; non admodũ nouum, & vnius saltem anni, quod tamẽ decimum octauũ mensem non excedat. Aetatem nunc vini, more nostro, quo passim loquimur, accipio, nôn ut Veteres dicebãt, Dioscorides præsertim, qui septimo anno vinũ dicebat esse in media ætate, libro suo Quinto de materia medica; quemadmodum & Galenus, ipsũ secutus. 7. Methodi. cap. 6. Tametsi annorum numero vini ætatem nequaquam posse definiri puto, sed id accipiendũ & à regione, in qua est vinum, & ab ipsa vini substantia, cũ ipse asserat Dioscorides Hadrianum, & Mamertinũ in Sicilia ocissimè inueterari, & Dige vis de tritico, vino, oleo legato, Hermogenianus ait, ex vsu testatoris legatũ estimabitur idest quot annorũ vino pro vetere vtebatur, & infert Vlpianus, vetus accipi; quod non est nouum. Sed non est quod de ætate plura dicamus, quando; vt scribit clarissimus Fracastorius, ea de vini temperamento sententia, quã Paulus Rhamnusius, vir doctissimus, amicus meus; cætera Fracastorij, paterni amici, opera colligens, & in lucem proferens, illis adiecit; ætatum ratio apud nos iam exoleuerit. Ad colorem itaq. transeamus, nam Sauonarola nigrum albo præfert, quòd densiore, validioreq. substãtia sit, licet forsan non adeo penetret; Verùm ignis acuit omnia ac separat, itaq. minus aquæ, mea sententia, elicietur ex nigro, quã

ex albo. Album itaq. potius acciperem; aut rubrum; secus autẽ in chymicis, ubi fæcum usus est, ut plurimum salis extrahatur. Album autem nunc intelligo non aqueum, sed quod nigrum rufumuè non sit, generosum tamen, & reliquis iam enumeratis qualitatibus præditum: Nam Dioscorides lib. 5. Falernũ, quod inter Italica vina principem locum obtinet, album appellat, cũ tamen si exactè loqui velimus, ex Galeni sententia 6. Methodi, innumerisq. penè locis, sit flauum. Flaua igitur, & subflaua, & fulua vina, nunc alba vocata sint, de quibus Raimundus etiam intellexit, cum album vinum in destillanda ardente aqua lauda uit, parte 2. lib. 1. de Quincta essentia. Dubitat etiam Sauonarola quo sapore vinum sit accipiendum, dulceq. eligendum consulit, quòd, Auicenna teste, stomachus nullũ saporem dulci præferat, & si terrestre nimium sit, ui tamen ignis ad spiritus naturã adducitur, eritq. aqua inde educta suauior, & magis naturæ amica. Sed si vini sapores in aqua ardente seruarentur, id fortasse aliquid faceret, sed tenuiores partes ita separantur ui ignis, vt nihil inde seruetur, quod si seruetur, id phlegmatis, crassarumque aliquid partium fuerit: ita enim crassum est vinum dulce, vt dicat Galenus de victus ratione in morbis acutis com. 2. vinum nullum tenue exquisitè, esse dulce: Quid igitur crassum quæramus, si tenue haberi potest, unde facilior transitus in aquam ardentem, & copiosior haberi potest? nam ex dulci, ob crassitudinem partium adeo pauci halitus efferri in sublime possunt, ut vix caput grauet; imo neque flatus, qui sunt ab ipso geniti, multum penetrant, sed diutius circa hypochondria morantur, ipsumq. oleo comparat Aristoteles 4 Meteor. t. 47. quamobrem non inebriat, non concrescit frigore, & uritur. Itaq. ego vinosum uinum, & meracum, quod, ut Galenus ait, iure aquoso opponitur, & plurimum aquæ in mistura sustinet, longè omnibus prætulerim. Nouum reijcimus, quod nondum perfectionem acceperit, & aquea plurimum ac terrea substantia sit, & minus defæcatum. Quamobrem satis constare potest, quas habeat uires aqua ardens seu Quincta essentia è musti feruentis dolio, autumni tempore, educta, eo modo, quem Vlstadius docet; nam & paucam, & aqueam elici necesse fuerit: Veteris uini tenuiores partes abierunt, quamquam ipsius substantia tenuior efficiatur, ut 4. Meteo. 48. Aristot. & xi. de simpl. med. facult. Galenus sentiunt: quamobrem & aptius est, quàm nouum, ut destil-

destilletur. Vas autē impleri ad dimidiū uino debet, educiq. tertia pars; quāquā nō una est in hoc auctorū sentētia; nam decimā tātū partē plerīq detrahunt, quā repetitis destillationibus omni prorsus phlegmate liberāt. Verùm Sauonarola animaduertit in curādis morbis acriorē fieri debere: in tuenda ualetudine, minus acrē: ubiq. tamē humiditatem ipsius, qua spiritibus nostris proprior efficitur, seruātes: nā ipsam plerūq. repetitis destillationibus amittunt. Itaq. pro tuenda ualetudine satis fore putant, si primò quidē ad dimidias extrahatur, deinde uerò ad tertias. Curādis autē morbis tertiò destillare oportet, tertiāq. perpetuo partē colligere, uinūq. semper scribit esse optimū debere, cuiusmodi Creticum illud est, quod Maluaticū uulgò appellamus. Ceterùm, ut dicam quod sentio, nullus esset in secunda ualetudine vsus huius aquæ, quando neq. vini veteris; si Dioscoridi credimus, scribenti, uetere vino neruos lædi, & reliquos sensus, & in secunda ualetudine, si innoxiè sumendum est, paucū idq. aqua dilutum bibendum: quantò igitur minus, aqua ardente, quæ est longè calidior, ac tenuior, vtendum erit? Sed inferius hæc tractabimus. In aduersa autem ualetudine uel imminente, uel quæ iam adest, cum attenuandi, penetrandi, calefaciendi, siccandique consilium fuerit (neq. enim alias hac aqua utimur) melius omnia hæc efficiet, quæ repetitis destillationibus, aqueā omnem partem deposuerit, pannumq. quod in ipsa maduerit, incēsa, cōburet; aut in vitreo cyatho posita, accēsaq. nihil humoris relinquet: quę eadem signa, cum Sauonarola in sua aqua postulet, quō cū paucis, quas requirit destillationibus cōueniant, planè ignoro. Eo igitur vterer destillādi modo ardētē aquā, ut oīò nihil, aut certè parū aqueę partis secū habeat, si, ꝙ pollicetur efficere illā velimus: nā pro tuēda ualetudine, nulla aqua ardēs, vino ipsi puro, claro, odorato, & sapore iucūdo, moderatè sumpto, præstare uī, qñ ipsū lōge familiarius sit, ac cōuenientius, q̄ ardēs aqua, humido caloriq. nostro insito; cū neq. caliditate, siccitateq. excellat, ut aqua ardens, in qua destillanda, humidiores partes aut in fūdo remanēt, aut calore tenuātur, & siccātur; & sit vinū multo humido aereo pditū, atq. ob id vitales spiritus restituat, cerebrū expurget, excitet ītellectū, innatū augeat calorē, cibi appetētiā pariat, stomacū iuuet, alimētum digerat ī vniuersū corp⁹, roboret viscera, ad tuēdā tandē valetudinē mirificè cōferat, ꝙ & Ar. 30. Sect. Prob. primo scribit, & Petr. And. Mat. luculē

tissimis

tissimis suis in Dioscoridem Commentarijs, experientia in se ipso facta, testatur, verumq. ob id reddit Plinij dictum scribētis lib.14.cap.6. Liuiam Augustam octuaginta duos annos vitę, vino Pucino referre acceptos, non alio usā; scribitq. Matthiolus, rusticos Iapidiæ incolas, cum vinis Pucino cognatis vtantur, rarissimè ęgrotare, & diuturnam admodum vitam, ad nonagesimum scilicet, & centesimum annum producere. Maximè autem defectus animi remedium, vino factum, vini vim ostendit, in vitali virtute tuenda, firmandaque. Non negauerim tamen, quin adhuc sani, quibusdam tamen humoribus crassis, & obstructionibus læsi, vt impendens vitetur morbus, ardente aqua vti posśibus, quod inferius demonstrabimus.

Ipsam autem ardentem aquam, triplicem faciunt; nam alia simplex est; aliam appellant. Quinctam essentiā; tertiæ, cōpositæ nomen imponunt, quòd quædam addant. De simplici verba hactenus fecimus, facturiq. inferius sumus. Quinctam essentiam è vino, primus, quòd sciam, Raimundus Lullius docuit, cum & primus aquam ardētem plurimum illustrauerit; nemo enim ante ipsum de huiusmodi aqua plura scripsit, nemo eam ad plura adhibuit. Sic autem Quinctam essentiam parat. Aquā ardentem in uase locat uitreo, uel cannis brachialibus appellatis composito, uel ansis concauis, & uacuis utrinque dispositis, quod a figura quam Pellicani refert, pectus sibi rostro scindentis, Pellicanum vocant. In eo aqua ardens optima clauditur, fimoq. obruta, temperato assiduoq. calore sursum, ac deorsum circulo agitur, dum Quincta essentia, colorem cęlestem referens, separatur à fæcibus, quæ turbido sunt colore; hancq. aiūt ferè incorruptibilem, nulliusq. qualitatis participem; quamobrem Quinctam essentiam appellarunt, quasi cęlo; cui, teste Aristotele, veteres Philosophi id nominis indiderunt; similis esset. Odorem, scribit, supra quàm dici posset, suauem referre, sicut ei nulla huius orbis fragrantia comparari, nihilq. suauius percipi queat: ad angulumq. domus locato vase, trahi omnes, qui ingrediuntur, miraculo penè inuisibili; quòd si supra turrim vas constituatur, aues omnes ad quas peruenerit odor, ita allici, vt circa ipsum immobiles maneant. Hæc signa docet Raimundus Quinctæ essentiæ iam perfectæ: quæ si abfuerint signa, uas iterum claudatur, loceturq. ad circulandum, dum adsint. Atq. in his, Raimundus, posteriores ferè omnes, assectas habuit, ipsumq.

sumq. in primis Sauonarolam, deinde Vlstadium, qui uarios ef ficiendæ illius modos, uti quoq. Raimundus, describit. Hieronymus etiam Cardanus eos sequitur, qui lib. 2. de subtilitate, Cum ardens aqua, ait, diuturno circulationis motu tenuitatē retinens, caliditatem, acumenq. saporis, ac odoris exuerit, æther est, ac tum primùm fragrat: est enim nihil aliud odor fragrans, quàm acutus cum moderatus extiterit. Igitur ardentem aquam, si ad temperamentum redierit, tenuitate retenta, necesse est fragrantem fieri, & si fragrans fiat, necesse est vicissim in æthera esse conuersam. Hæc Cardanus; Quamobrem Sauonarola, omnibus eam morbis profuturam scribit: Aethera autem Cardanus intelligit substātiam tenuissimam mobilem, quæ motu calorem temperatum retinet, & tum plurimum; quę vires omnes conseruare potest; & vitam producere. Sed utinam viueret nunc vir clarissimus, medicusq. præstantissimus, Bartholomæus Eustachius Sancto Seuerinas, magna mihi beneuolentia coniunctus, qui ingenti rei medicę damno, superioribus annis, dum arthritide totus contractus, Roma, Forumsempronij, curandæ caussa valetudinis Iulij Ruuerei Cardinalis Vrbinatium amplissimi, Archiepiscopi nostri, cuius ipse gerebat medicum contenderet, in itinere obijt. Is enim (ut de me taceam) experiētia ipsa, quam fecerat diligentissimè, testari posset, aquam ardētē, si non mense solum integro, sed duobus, atque etiam tribus mensibus, imò vel anno toto, circulo, vt Raimūdus præscribit, ageretur, ad id odoris, suauitatisq. nunquam peruenturam; ac potius calidiorem in dies, acrioremq. nunquam peruenturam; ac potius calidiorem in dies, acrioremq. fieri, ut quisquis velit, facilè potest experiri, & ratio ipsa ab igne ac motu desumpta persuadet. Quamquam illud non absolutè de aqua ardente, simplici ac pura; vt posteriores putarunt, Raimundus intellexit, sed de ea in qua dissolutum fuerit metallicum corpus. Canone. n. 2. par. 2. primi lib. sic scribit. Hæc verò Quincta essentia sic circulo acta, & rectificata, non illa prædita odore fuerit, nisi corpus sit destillatum in ea. Hæc ibi: Que quo modo fieri possint, & an uera sint, alterius est negocij disputare. Illud miror, viros doctissimos hæc non animaduertisse. Itaq. hanc Quinctam essentiam, non alio loco, quam aquam ardentem, purissimam, ac sincerissimam, omni prorsus aquea parte liberatam duxerim; quod & videtur Cardan. parum sibi forte cōstans, asserere

cum ait, Aether plurimum caloris retinere. Compositam verò, quæ tertium genus erat, aromatibus quam plurimis additis, faciunt; quod inferius docebimus.

Aqua ardens simplex & purissima, calida, & sicca est, quarto fere gradu, sed tenui adeò substantia, vt efficere ea non possit, quæ alia, tertio excessu calida & sicca solent. Id colligitur tum ex ijs, quæ facit, tum ex ijs, quæ patitur: celeriter enim accenditur, sed cum non ita celeriter comburatur, aereæ nonnihil humiditatis in ea inesse Sauonar. optimmè putat; qua humiditate cum careat aqua separationis auri ab argento, licet calidissima, & siccissima, non uritur. Aeream autem hanc humiditatē traxisse a vino dicendum est, de qua fortè intellexit Scophrastus sexto libro de causis plantarum, cum ex vino, quod ipse appellat σακκίζομενος, id autem est, sacco percolatum quo modo ad frangendas uini uires antiqui utebantur et adhuc utimur, ex eo inquam vino pingue quiddam supernatans auferri ad usum lucernarum dicebat. Ideo maxime uidendum est, quo utamur in hac destillatione vino. Aqua igitur ardens ob aeream hanc humiditatem, nostro humido ac calori familiare quidpiam habet. Itaq. cum tenuissima sit, miscet se humido primo, solida penetrans & excrementa separat, quæ in illo continētur. Quia uerò calidi plurimum habet, eijcit impurum quicquid est, naturalēq. calorē, vbi est imbecillior, & frigidis opprimitur excrementis, instaurat. Dolori capitis antiquo, & quem frigidi succi pepererint, medetur, si naribus trahatur, aut ore nonnihil contineatur: qui ob nimiam frigiditatem, ac humiditatem memoriā labant, si occiput abluerint, iuuantur; frigidis destillationibus, & paralysi prodest, si panni hac aqua madentes, locis læsis imponantur. Idem faciet conuulsioni, pręsertim si cum sanguine leporis mixta, membra maduerint, nisi tamen a siccitate aut inanitione conuulsio ortum duxerit. Omnibus tandem frigidis cerebri affectibus profuerit, si rectè adhibeatur. Surditati quoq. & aurium sonitui, narium quoq. grauedini, seu Corizæ, & obstructioni. Ad linguæ paralysim, & dolorem dentium, quē frigiditas genuerit, optimè facit, ipsorumq. putredinem ac gingiuarum coercet. Morbis item oculorum frigidis; si extrinsecus abluantur, aut, cum a stomacho originem ducunt, si bibatur, prodest. Verum quod ego conspexi, nō inuoluam silentio, nobilem virum suffusione laborantem, cui vsu ardentis aquæ

in

oculo impositæ, cum materia ipsa concreta decidisset, ipse & humor albugineus manauit, cornea quoq. tunica, aquæ vi, non nihil exesa; cumq. aliqua esset in spe recuperandi visus, omnem amisit. Admodum igitur sobriè ac diligenter oculorum affecti bus hac aqua medendum est, quam mirificè ad lachrymantes oculos efferunt, sed nequaquam initio, nec dum lachrymæ calidæ fuerint, & interius ortum habuerint. Verum hac in re non est prætermittendum Sauonarolæ consilium, qui putat rosacea aut stibio temperandam. Vocem frigiditate læsam, ablatamùe restituit; malè olentem halitum corrigit, si præsertim a stomacho ducat originem. Asthmati, cordis tremori, cum eas frigiditas flatusq. pariunt, succurrit egregiè. Vesicas humoresq. qui è mammis mulierum exeunt, siccat. Stomacho frigidiori plurimum conducit, flatus.n. discutit, & qui inde dolores gignũtur, soluit. Sauonarola testatur, Ioannem Franciscum Gonzagam, primùm Mantuæ Marchionem, cum innumeris penè ad stomachi dolores, quos a flatibus patiebatur, remedijs vsus fuisset, nullum huic ardenti aquæ par, aut simile inuenisse. Sed modus hac in re adhibendus est. Iecinoris, ac lienis infarctus expedit: Hydropi, quam peperit frigiditas, conducit; quo casu multi ad dimidiam oui testam, præbent. Renibus & lateri calens imposita, dolores eorum frigidos, coli etiam, cæterorumq. intestinorum pota, & deorsum infusa, leuat. Idem de arthriticis, podagricisq. doloribus facit, testaturq. Sauon. se Forliuij quendam vidisse hac acqua, tum interius sumpta, tum exterius adhibita, madentibus pannis loco doloris impositis, coxendicis dolore, iã tamen inclinante, liberatum. Neruorum quoq. incisorum dolori remedio est; necnon & cauis vulneribus quæ occalluerint, & malignis vlceribus prodest. Febribus quartanis pituitosis (nã è crasso contumaciq. crasido humore in stomacho congesto febrem gigni posse, quæ quarto quoq. die affligat, scribit Aristoteles) succurrit, si duabus, ante accessionem horis exhibeatur, cum his, quæ melancholiæ aduersantur: haud dissimiliter ceteris a frigida materia febribus opitulatur. Illud tamen in omnibus est animaduertendũ, ante huius aquæ ardentis vsum, vt euacuationem humorum, qui morbum faciunt, moliamur, & inclinante iam morbo, quartanis præsertim febribus, exhibeatur: cumq. breui temporis spatio opus expleat suũ, si intra horam, vt monet optimè Sauonarola, quod quærimus non efficiat, fo

ris præsertim adhibita, repetendus vsus est, aut cũ densiori materia coniungenda. Pueris, & adolescẽtibus, sinceram, nulloq. mixtam, aut vino, aut iuri, aut alteri huiusmodi rei ex medicorum præscripto, nequaquam dandam esse puto, quemadmodũ de Theriaca scribebat Galenus, ad Pisonem; si is eius libri auctor fuit; nam eius caloris magnitudo, vires puerilis caloris superat; quamobrem & puerile corpus facilè dissoluit, & complantatum spiritũ celeriter extinguit, non aliter atq. lucernæ flãmam, plusquam conueniat infusum oleum. Senibus tutius præbetur, ijs præsertim, qui frigidiore sũt stomacho, humidioreq. neq. tamen quotidie, sed altero, aut tertio quoq. die, vt doctissimi medici consulent, habita ratione temporis, regionis, cõsuetudinis, atq. huiusmodi reliquorum. Quoniam verò Galenus refert. 4. Methodi medendi, ex Hippocratis sententia, Vlcera madefacere, id autem est, abluere, quæcunq. ea fuerint, nisi vinò non oportere, nam siccum sano vicinius est, humidum verò non sano, idcirco dicere Arnaldus consueuerat, cruda & recentia vulnera, aqua ardente abluta, celerrimè ad sanitatem perduci, quippe quæ insigniter desiccet. Scribit Sauonarola aquã hãc ardentem, gemina caliditate præditam; Elementaria, qua corpora calefacit, exiccatq. & cælesti acvitali, à vino contracta, quã uino vis solis, dum generabatur, impressit: calor enim cælestis, cum elementari coniunctus, generat, vitamq. largitur; quamobrem tradit Arist. a sole atq. homine hominem gigni; hincq. est quòd vinum vitalem roborat virtutem; fœcundosq. homines reddit. Itaq. ardens aqua, elementaria caliditate excrementa absumit, cælesti, spiritus generat, vitamq. producit. Ceterùm nũquam ego duplicem hunc calorem affirmaui, tametsi Conciliator, Diff. 48. Gentilis Fulginas in primam quarti, multiq. grauissimi uiri, & antiquiores, & recentiores, Ioannesq. præsertim Fernelius, vir doctissimus, lib. de abditis rerum caussis, secundo, id grauissimè, longoq. verborum ac argumentationũ cursu, astruere conentur, verbis etiam ex Aristotele. 2. de Generatione Animal. cap. 3. multisq. præterea locis adductis. Nam frustra multa ponimus in natura, cũ paucioribus æquè fieri possit, præsertim cum ex. 2. de Anima. 41. constare queat, eundem calorem, ut à corporibus cælestibus temperatus est, eorumq. virtute agit, esse cælestem; cum autem propria ignis forma, nullaq. alia regitur, elementariũ dici; quod & lib. de respirationis caussis affirmat,
cum

cum de nutritione, coctione, & huiusmodi loquens, eaq. igni tribuens, ait πυρὶ λαὶρ ἐφάλεται πάντα; Sensus enim tactus, qui harum iudex qualitatū à natura constitutus est, nullam inter hos calores differentiā constituit. Et huius fuisse sententiæ videtur Galenus lib. 5. Comment. in 6. epid. vbi explicaturus verba Hippocratis cum ait. Hominis anima semper producitur vsq. ad mortem, sin autem igne excanduerit, simul cum morbo, & anima corpus depascitur; Nempe, inquit, quòd insitum calidum, cui maximè corporea opera Hippocrates tribuit, igneum factū non solum prima munera obire non possit, sed neq. corpus nostrum alere, quod ipsius erat primarium officium, imò contra perdat; atq. ut ignis, liquefaciat, nobis ratione cōtēplantibus, & corporis eliquationes a purētibus febribus factas euidēter cernētibus apertū est. Hæc Gal. quibus etiā patere potest, Hippocr. duplicem hunc calorem, tanquam specie essentiali (nā de accidentali non repugno, id enim Auer. 1. de substantia orbis dixit) inter se diuersum nō constituisse; nec ab eius mente abhorrere cū Gal. dixit, Febrem esse calorem naturalem in igneū mutatū: ipseq. citatus è 2. de gener. animal. Arist, caliditatem uiuificam generationis, nequaquam dixit cælestem, sed proportione respondentem cælesti; inquit. n. esse ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. Sed hæc alias opportuniore loco forsan disputabuntur. Tot autem dixi, vt pateret nulla alia caliditate aquam ardentem prædictā esse, corporaq. nostra iuuare, nisi elementaria; eaq. caliditate efficere omnia, de quibus diximus. Quamobrem qui calidiore temperamento, ætateq. sunt, & calidis morbis laborant, nequaquam caliditati cælesti nixi, hac aqua utantur; ad iecur. n. & renes, ob tenuitatem, copiosior præsertim sumpta, pertingit, & pectore calidiore pręditis, soffocationem parit, ob refrigerationis defectum; sunt qui æstate eam temperent aqua rosacea, in qua saccharum dissolutum sit, morbisq. calidis adhibeant, frigidis mixtam remedijs, quemadmodū in semitertiana, piper; sed hoc peritissimi fuerit medici opus. Maximo aut abusu & damno, qui hesternam adhuc crapulam ructant, atque ob id grauari stomachum sentiunt, eam potant; hinc enim membrorū resolutiones, hinc tremores, plurimaq. huiusmodi incommoda ducūt originem: cū. n. hæc acqua tenui substātia sit, in humores ac cruditates mersa, quod ab ea expectatur efficere nō potest; sed superficie tenus agens, leuiores partes secū in caput rapit, quæ

facilè ob tenuitatem in principium neruorũ imbibuntur; vnde paralyses ac tremores, forsanq. apoplexiæ. & si absinthij succus capitis dolorem ciere scribitur; quòd ob suam siccitatem, ac caliditatem mordentem, fumos efferat ad caput, qd de aqua ardente dicendum? Nequaquam igitur multa cruditate refertus stomachus sit, tribusq. saltem horis, huius aquæ potus, cibum præcedat, sic.n. facilè excrementa attenuat, expellitq. & putrefactionem coercet. Paralysi, tremori, ceterisq. frigiditate humiditateq. prognatis morbis, vbi inclinare cœperint, aut augeri desierint, fueritq. minuta materia, plurimũ prodest. Vino plerique mixtam eam accipiunt, alij aquis stillatitijs, morbo quem curare quærimus, proprijs, quæ tamen omnia prudentis medici consilio egent. Illam cautè admodum & parce bibant, qui sunt cerebro debiliori, & vini potu facilè læduntur. Idem ijs faciendum est, qui stomachi calorem imbecillum habẽt: maior enim flamma minorem destruit, non solum q; vt scribit Arist. 3. Probl 5. pabulum eius cito consumat, sed vt idem asserit. 1. Probl. 58. q eam distrahat, ac dissipet; Noui, quibus Ephemerã febrem, & quibus tertianam, huius aquæ potus, etiam parcus, pepererit, cum tamen media hieme illa vsi fuissent; erat autem calidioris epatis. Refert quoq Sauonarola, Ioannem Frãciscũ Gonzagam, primum Mantuæ Marchionem, qui huius aquæ vsu plurimum delectabatur, vti diximus, ita edoctus à Ioanne Tolẽtinati, medico ipsius clarissimo, ac doctiss. quamquam id vtilitatis perciperet, in humoribus, vaporibusq. frigidis è stomacho disturbandis, quod nullũ aliud medicamentum attulerat, tamen cum sæpius maiore quàm deceret copia ob stomachi imbecillitatem illa vteretur, in eã imbecillitatem incurrisse, vt omne alimentum in ventum verteret: ac nisi optima sex rerum nõ naturalium ratione fuisset vsus, multò ẽt citius mortẽ obijsset, quę tñ cõtigit anno ætatis quinquagesimo quarto.


De ardente aqua, quàm vocant compositam, satis cõpertũ esse potest, magis calefacere ac siccare, quam simplicem, quòd densior quodammodo fiat, & quasi crassior; quamobrẽ haud ita dissoluitur eius virtus. Cumq. simplex, generatim, calefaciat ac siccet, hæc appositis, quæ certum membrum ac morbũ respiciant, medicamentis magis proderit. Nam si stœchadem infuderimus, caput respiciet; si sabinam, uterum; si eufragiã, oculos; Si thus, mirrham, sarcocollam, & aloem, vulneribus

con-

conducet; atq. ita de ceteris. Hæc enim omnia in ardenti aqua simplici infusa, sic uim illi suam communicant, ipsa autem amittunt, ut omni prorsus sapore priuata sentiantur: nam si in uino id accidit, in quo si Rhabarbarum, Cinamomum, Gingiber, aut huiusmodi res odoratas, tritas infuderis, uires, odorēq. ac saporem induit, quanto magis in ardente aqua, quæ est calidior, atq. ob id magis attrahit? Viginti quatuor enim atq. etiam minori, horarum spatio, quod infunditur, uim amittit, & aquæ eam largitur. Cum autem multis modis parari soleat hæc aqua ardens, seu uitæ composita, illa tamen ceteris præstare uidetur, cum medicamenta ipsa, non in aqua ardente, sed uino generoso immergimus, aliquotq. horarum spatio, nempe octo aut decem macerari sinimus, deinde destillamus; sic enim vires, & liquor ex ipsis medicamentis unà cum ardente aqua eliciuntur, maioresq. uires liquor ille stillatitius possidet. Hac ratione, magno aliqui arcano, ex radice gentianæ aquam eliciunt; & suam aquam, seu elixir uitæ componebat Thadæus Florentinus, uir illustris, quem Michael Sauonarola, Principē eius ætatis medicorum appellat: tantamq. eius fuisse doctrinā cum experientia coniunctam, asserit, ut Petrus Aponus, Conciliator uocatus; quem docti omnes maximi faciunt; ex eius dictis libros suos conflauerit; omnesq. cùm antiquiores; tùm recentiores medicos eius opera, ac medicamenta quæ præscribit, perinde ac Aesculapij, ueneratos fuisse, ī manibusq. assiduè, magna reuerentia habuisse, testatur; Floruit autem tercentis ab hinc annis. Hic igitur clarissimus vir, ita elixir suum, seu aquam vitæ compositam faciebat. Caryophyllorum, nucis myristicæ, macis, zedoariæ, galangæ, piperis longi, piretri, corticum citri, sampsuchi, saluiæ, ammi, nardi Indici, xylaloes, cubebarum, cardamomi, cinamomi, mēthæ, lauendulæ, costi, pulegij, origani, calaminthæ, calami odorati, stœchadis, chamædryos, Chamæpityos, cuiusq. partes æquales, in puluaremq. redacta, vino optimo macerentur, inde leuissimo igne, vitreis organis, aqua excipiatur. Primus liquor perspicuus, optimusq. erit; quemadmodum & secundus; tertius abijcitur. Eas autem esse huius aquæ vires asserit, vt vel extrinsecus adhibita, morbos curet: potest & nonnihil moschi, lineo panno inuoluti, addi eo, qui Medico videbitur, & ferre ægrotus poterit, modo; assiduè autem in ipsa aqua moschi nodulus appensus maneat. cochlearis mensura

bibitur

bibitur, ieiuno ſtomacho. confert autem tremori, paralyſi, coli dolori, quem frigidus humor, aut ſpiritus genuerit: Tardat canitiem, iuuentutis robur conſeruat, calculum in renibus minuit; Sed hæc vt efficiat, quarto quoq. die, portio huius aquæ commiſceri debet vino, quod bibitur; & ad octo menſes, ac potius ad annum hoc modo illa vtendum eſt. Pleriq. referunt, in quibus eſt Geſnerus in Euonymo, M. Gallum, Caroli Imp. Medicum, annos centum viginti quatuor vixiſſe vſu aquæ, quæ cōſtabat Cubebis, cinamomo, galanga, nuce myriſtica, caryopyllis, gingibere pari pondere; Saluiæ, ſeu athanaſiæ, aut ambroſiæ quadrupulo, ardente aqua ſexies è vino optimo deſtillata; quantũ eſt pondus omnium reliquorũ, exceptis, & deſtillatis. Alij Theriacam ardenti aquæ, per menſem, infundunt, ſæpe agitantes dũ colorem croceum contrahat, eamq. præcauendis venenatis, peſtilentibuſq. morbis, magno ſucceſſu, præbent, multoq. celerius penetrat, & vires ſua exercet; quod & Matthiolus in ſua præſtantiſſima antidoto aduerſus uenena, ſeruat. Ratiocinatur Sãuonarola aquam ardentem ſimplicem, atq. etiam compoſitam immune a putredine ac corruptione ſeruare cor humanum, in multos dies, idq. ſe vidiſſe teſtatur: Quamobrem id multò magis facturam in eo corde, cui anima adhuc inerit. Sed Sauonarola uerè fuiſſet ratiocinatus, ſi ſola putredine in ſanis hominibus, & vix vnquam in ægrotantibus, non aliarum exceſſu qualitatum, vti nimia caliditate, ac ſiccitate, quod in hecticis accidit interire cor poſſet. Sunt qui in aquavitæ hyacintos, ſmaragdos, margaritas, & huiuſmodi gemmas, ad hęc aurum, argentumq. prius macerant, inde extillant, in quibus & ipſe Sauonarola eſt, ſed inani ſtudio, ac labore, quando nihil ex ipſis elici hac ſimplici aqua poſſit. Alij aquam vitæ compoſitam faciunt, vitrea, cucurbita longisſimo collo, deinde curuato, tandem verò latiore facto, vbi aromata condunt, nempe in A; deſtillantes, vti ex ſubiecta vaſis figura conſpicere poſſumus. Cardanus lib. 2. de ſubtilitate, elixiris compoſitionem docet, qua pater ſuus odorata pleraq. ligna & herbas ardente aqua excipiebat, & in fimo ſepulta curabat ut ſemi putreſcerent, inde deſtillabat. Sed cum aqua ardens putredini reſiſtat, & putrefactio



obſit,

obsit, macerationem debemus intelligere. Canos autem ait tardasse, dentes firmasse, concoctionem, memoriam sensusque iuuasse.

Mentiri nos aquam ardentem, imò elixirvocatum, posse, idẽ putat Cardanus lib. de rerum varietate, cap. 50 quòd cũ in Scotia esset, Zythum, seu Ceruisiam Hibernicam, aqua ardente non parum præstantiorem, uiderit conflatam ex communi Zytho, additis aromatibus, inde omnibus destillatis: Mentiri autem aquã ardentem nos posse scribit, solo gingibere, vel vini fæce, aut siliquastro, iuniperiue semine, aut amaraco, vel serpillo, cũ auena. Ceterum vt vinum, id autem est vini saporem, fragrantiam, familiaritatem, quæ sibi cum nostro calore intercedit, sic mentiri non possumus, vt has vires habeamus, ita neq. ardentẽ aquã, quæ inde elicitur. Caloris, & siccitatis opera, quæ ex alijs etiam præstantiora habentur, colligi poterũt, reliqua minimè; ars enim assequi naturã non potest, nisi eius supposita materia.

E vini fæce aridiore, si tamen propriè fæx est; nam quæ de fęce vini Dioscorides scribit, hanc aridam non videntur respicere, tametsi uires non admodum dissimiles sint; multa fiunt, ad rem medicam, & ad mulierum ornatum plurimum conducibilia. Hæc autem fæx, doliorum lateribus adhærescens, in lapillos quandoq. perspicuos pulcherrimè concrescit, Tartarumq. appellatur a chymistis. Primùm quidem moderato igne, ne oleũ exeat, aqua elicitur, quæ ad stipationes iecoris, ac ceterorum locorum intestinorum, præpurgato præsertim corpore, efficacior est multò, quam aqua vitæ ardens, quòd crassiori substantiæ innitatur; plurimumq. ictericos iuuat, putredinem humorum, & pręcauet, & coercet; atq. ut aliqui scribunt, initia leprę tollit. Pręterea nonnulli tartarum hoc in calcem albissimã redactum aqua ardente soluunt, septem dierum spatio, balneo tepentis aquæ, inde igne primùm leui; mox uehementissimo, eliciunt cum aqua ardente, oleum, quę postea balneo mariæ possunt inuicem separari: Quod reliquum est in fundo, in calcem iterum redigunt, mox destillant, uti supra: idq. repetunt, dum totum tartarum in oleum abierit: Hoc autem oleum calore solis in puluerem exiccari aiunt, quamobrem tunc spiritum ab eo, vti supra factum est; eliciunt, & huius granum vnum, cũ drach. sem. Mithridati, & vnc. 1. aquę plãtaginis, vel cichorij stillatitię, omnes funditus vlcerũ radices tollere asseuerant; quod nequa-

quã abhorret ab ijs, quę de vini fęce scribit lib. 5. Dioscorides. Sed quo labore tartarum aqua ardente dissoluatur, sentient, qui experientur. Non desunt, qui vt idem efficiant, illud destillent chalchanthi modo. Alij huic destillatitio oleo, aquam vitę addunt, labore penè immenso, ne dicam inani, cum faciliùs haberi res possit. Pleriq. sic faciunt; Tartarum crudum, aquá vitę optima affusum, & per viginti quatuor horas ibidem maceratũ, destillant, vase recuruo, igne primùm leui, mox vehementi, vt in oleo chalchanthi extrahendo fieri consueuit, separando tamen, quę primò exit, aquam Hoc pacto oleum habebitur, & copiosum, & pulcherrimo colore, phtisicis maximè probatum, si in iure ranarum optimè coctarum, huius olei gutta exhibeatur. Curandis expurgandisq. vlceribus mirabile scribitur. Multum etiam facit, vt pęstilentiam pręcaueamus, si summæ nares eo inungantur. Sũt etiam, qui tartarũ in calcem redactũ aqua communi calida dissoluant, quod facilè fit; dissolutũ igne lento exiccant, idq. quinquies repetunt; semper tamen, vbi dissolutum est, filtro colant, quodq. postremo siccum remanet, affusa aqua ardente optima, tribus diebus equino fimo, aut tepentis aquę balneo, macerant, inde aquam destillatione excipiunt, manente in fundo vasis oleo, quod vrinæ ciendæ maximè ꝓbatur, ad drachmam exhibitum, cum duabus vncijs uini maluatici acerbioris. Tabidos etiam præseruat. Alij tartarum è uino albo per spicuũ, accipiunt, adduntq. resinæ terebinthinæ, & herbæ aloes æquas portiones; conterunt, conijciuntq in matulam uitreã; mox addito pileo rostrato; aquam extrahunt, quam fæcibus tritis affundunt, inde destillant, igne semper uehementer aucto in fine destillationis. repetunt id vigesies ferè, dum totam fæces aquam combiberint, nullusq. exeat humor, & ipsæ sint fæces albissimæ: quæ loco humido supra marmor positæ, in aquam habeunt, cuius ingentes vires prædicant; nam eius scrupulum cum iulepi violati duabus vncijs, potum, valetudinem, viresq. firmat, lumbricos enecat, iecoris ac lienis infractus expedit, vrinam ciet, destillationibus prodest. Illud etiam hoc loco nequaquam prætereundum duxi, quod Albertus re, & cognomento Magnus, cuius doctrinam numquam satis mirari possum, lib. 4. Met. scribit, text. explicans. 48. & 49. quod. s. vbi pars aquea è vino educta est, remanent partes terrestres uini, infusæ humiditati pingui oleagineæ, & si substantia illa, vltra sublimetur ien-

to

to igne, egreditur oleum; qua in re multum inter se vina differunt; nam quò fortius vinum fuerit, eò minori copia aqueus manabit humor, oleaginus autem maiori; contrà, quò debilius, tenuiusq. aqueus maiori; oleaginus minori. In rubeo quoque vino plus oleagini humoris inest, quam in albo; in flauo, quàm in aqueo. Quamquam quod dicit Albertus, cum vinum sublimatur, veluti aqua rosacea; quod primò ex ipso emittitur humiditatem esse aqueam & insipidam, videtur secus se habere; est enim purior ac ardentior, vt ita dixerim, pars, quam deinde aqua sequitur; sed forte Albertus omnem simul humorem, qui oleum antecedit, nulla facta phlegmatis separatione, accepit. Quæ autem hæc sit oleaginea pars, inferius, de auro loquentes, aliqua dicemus.

De Aqua. Cap. III.



SCRIBIT grauissimus auctor Auicennas lib.1.Fen.2. Doct.2. Sublimationem, & destillationem aquas malas, meliores facere, & si istud inquit non fuerit, decoctio faciet, quibus verbis anteferre videtur, decoctionem destillationi, cum decoctio faciat, quod nequit destillatio; cuius tamen oppositum videtur affirmare Fen.3. Doct.5. cum docens, qua ratione iter agentes, ab aquarum varietate lædi non possint (aquæ enim diuersitas longe deterior est, quàm ciborum) aquam, inquit, coquere, eam quandoq. clariorem reddit, & inter puræ aquæ substantiam, & id quod ei admiscetur, separationem facit, & maius hoc toto est, ipsam sublimando destillare: quod confirmare etiam Rasis videtur. T.6.cap.22. Putat enim Auicenna, decoctionem nulla alia ratione tenuiorem reddere aquam, nisi quia aut spissitudinem tollit, quæ à frigore nascitur, aut descendere crassiores partes faciat, quæ cum aqua mixtæ fuerant adeo paruæ, vt sponte nec descendere, nec separari ab ea possint: Quapropter coctione nunquam crassiorem fieri aquam, sed semper tenuiorē scribit; quęq. partes ob coctionem exhalant, nihilo tenuiores ijs esse, quæ remanent. Sed hæc Auicennę sententia, nequaquā accipitur ut vera, cum potius veritati aduersari experiētia ostēdat; aquamq. nimia coctione crassescere videamus: neq. enim

ſimplex aqua eſt,qua utimur,ſed mixta,quòd ſi mixta eſt, craſſioribus neceſſario ac tenuioribus partibus conſtat; itaque tenuiores prius euolabunt,agente in aquam igne:preſertim cum vel ipſo teſte Ariſtotele, omnia coctio cogat incraſſetq. Aqua etiam ipſa decocta, numquam ita pura euadit, tenuiſq.vt ſtillatitia:que.n.decocta nihil habebit,quod in fundo reſideat, id in eadem videbitur,ſi deſtillauerit: cum è contrario ſtillatitia, eã ſi coxeris, in fundum nihil deijcit. Cruda quoq. deſtillatione melius, quam decoctione vulgari coquitur, quoniam ipſi halitùs non niſi te calente iam aqua tollantur, ipſiq.leni adhuc calore, qualis eſt balnei tepentis, coquantur:et cum ſalſæ aquę, & vitioſe, ipſa magis coctione ſalſæ nitroſæq. fiant,deſtillatione tamen, repetita pręſertim, eas qualitates exuunt. Quod cum ita ſit, affirmare iure poſſumus, aquam deſtillatione fieri meliorem, quàm coctione, tùm quòd deſtillando non imminet periculum, ne tenuiores partes euolarint,aut craſſiores miſceantur,tùm ꝙ cum aqua fuerit in halitus verſa,actione ignis, tenue quiddam, & aereum acquirere videtur, quibus magnus ille,& ut inquit Galenus, vndequaq.admirabilis Hippocrates, præponere aquam pluuiam,ceteris omnibus ſatis cõſtat; aquas enim illas laudat Hipp. lib. de aere, aquis, & locis, quæ leuiſſimæ,& dulciſſimæ, & tenuiſſimæ, & ſplendidiſſimæ ſunt; quæ omnia in aqua deſtillatione excepta ineſſe, nemo eſt tam huius artis ignarus, quin intelligere facilè poſſit. Imò ipſi aquæ cæleſti præſtare etiam crediderim, ꝙ neq. malum odorem habeat, neq. facilè putreſcat,vt aqua cæleſtis: Quamquam.n.pleriq. eam, quæ facilè putreſcit,aquam, plurimum probent,idq. bonitatis aquæ potiſſimum ſignum numerent,quòd ſcilicet facilè vinci poſſit, minuſq. ob id negocium afferre natúrali calori, id tamen contra eſſe arbitror, nec idcircò clam me eſt, ab Hipp.ſcriptum lib.5.aph.26.aquam, quæ cito calefit, ac refrigeratur, leuiſſimam eſſe; ſed multum intereſt qualitatibus mutari,&ſubſtantia;non enim ſequitur,ut quod illis facilè alteratur, hac item facilè mutetur:nam aer,cum maximè ob tenuitatem, facileq. alteretur in vtramq. qualitatem, difficilè tamen putreſcit, vt ſect.25.probl.20. luculenter docet Ariſt. Quæ aqua, tenui ſubſtantia eſt, cito labitur,ac penetrat,non innatat,neq. in præcordijs hęret, ut ſcribit idem Ariſt.3. ſect. probl.18.atq. ob id potui, & coctioni aptiſſima, ſed quę facilè putreſcit, cũ ſub-

ſtantiam

ſtantiam indicet ad malitiam aptam, minus quoq. tuendæ valetudini conducibilem puto; nam & humores in corpore ex eo geniti facilè concipere putredinem poterunt. Itaq. meritò ſcribebat Dioſcorides, eam eſſe optimam aquam, quæ dulcis eſt, ſyncera, nullius omninò qualitatis particeps, & quæ ne minimo quidem tempore in præcordijs commoratur; ad hæc quæ, & facili via fertur, & citra moleſtiam, nec inflationes creat, & minimè computreſcit: quæ omnes conditiones inſunt aquæ ſtillatitiæ, vi ignis, ſinceriſſimæ iam ac puriſſimæ redditæ. Dulcem autem intelligo, quo modo dicit lib. de alimento Hippocrates, cum ſcribit; Dulce ad potentiam, vt aqua; Dulce ad guſtum, ut mel. Iure igitur præferri aqua ſtillatitia, cœleſti, ſeu pluuiæ poterit; non enim aqua pluuia facilè putreſcit, quia tenuis, vt malè, meo iudicio, Auicenna Hippocratem tacitè arguens, lib. 1. Fen. 2. Doct. 2. accepit; quod ſcilicet agere in eam ob tenuitatem facilè poſſit corrumpens terreum, & aereum, id autem eſt, vt aliqui interpretantur, aeris, terræue externa caliditas; nam quę eſt tenuior, ut citius ob tenuitatem caleſcit, ac frigeſcit; ita minus apta eſt, ut putreſcat, quia maximè cocta ſit, calorq. ipſius validior: neque hanc adduxit cauſſam Hippocrates, ſed ideo putreſcit citiſſimè, quòd, inquit, ex plurimis qualitatibus, vt explicat Oribaſius, ſeu vti ſcribit Paulus, halitibus, congregata eſt, atq. permixta, cuiuſmodi non eſt aqua de ſtillatione excepta: rapit enim ſol, non ſolùm ab aquis ſtagnā tibus, ſed etiam ex ipſo mari, & ex omnibus; in quibus aliquid humoris ineſt: ineſt autem in omnibus rebus. Quamobrem opus habent aquæ pluuiæ, quemadmodum inquit ibidem Hippocrates, vt decoquantur, ac excolentur; alioqui raucedinē, & vocis grauitatem, plurimaq. afferunt incommoda; quæ licèt Oribaſius ex Galeno, accidere ijs dicat, qui aquam pluuiam potant, dum putreſcere incipit; id tamen non eſſe ad mentem Hippocratis, facilè, qui legerit diligenter, intelliget; neque vſquam reperi dixiſſe Hippocratem, eam eſſe aquam optimam, quæ facilè putreſcit, tametſi id Oribaſius ex Hippocratis quibuſdam dictis coniecerit; antea enim quàm aquæ pluuiæ excoquantur, non eas ſimpliciter optimas ſcripſit Hippocrates, ſed hæ quidem, inquit, aquæ optimæ ſunt ſecundum hanc rationem, verum opus habent, vt decoquantur, & excolentur: Tuncq. vbi coctæ ſunt, verum eſt, quod de Diacodion ſcribēs,

dicit Galenus 7. de compos. medic. sec. loc. aquam pluuiam eo medicamento conficiendo, addi; quò minus sit obnoxium pharmacum putredini. Neq. verò asserendum est, hoc de ijs tantum aquis dicere Hippocratem, quæ ventis inter se aduersis spirantibus decidunt, nam præter quàm quòd plerique, & presertim. 6. de morb. vulg. comm. 4. 19. Galenus, has, dum tamen procellosæ nimis non sint, meliores putant, quàm quæ silente cælo demittuntur, quòd motu magis attenuentur, & exhalationis calore, vapor quodammodo coquatur; quæ ratio multo magis in stillatitijs aquis valere potest; satis patet, Hippocratem absolutè de aqua pluuia scribere, cum easdem vbiq. malas odoris, ac facilitatis ad putrescendum qualitates, apponat; quod & Auicenna animaduertit. Efficitur itaq. ex his, aquam destillatione fieri ad potandum maximè commodam, & valetudini conducibilem, omnibusq. alijs aquis præstare. Quòd verò videatur Auicenna præferre coctionem destillationi, id quidem ita non est, sed si id non fuerit, inquit, nempe si destillatio non affuerit, nec illam possimus ad corrigendam aquam adhibere, decoctione saltem vtemur. Illud autem non est omittendum, quod vbi aquæ malæ sunt, palustres ac putridæ, multiplici nonnunquam opus erit destillatione, dũ sapor malus omnis atq. odor abierit: quod indicabit sensus. Tametsi neq. omnis adscititia qualitas destillatione tolli ab aqua potest, præsertim si sint partes penitus, & diuturno tempore commixtæ, ac nisi sensim, & miti admodum igne destillatio fiat: Facilius enim ebulliunt, & agitantur in ea materiæ, ob halituũ collectionem, qui in intima cẽtrumq. adacti, caliditatem plus iusto augent: Atq. idcirco in quibusdam thermarum aquis: vbi sulphur adesse, cũ aquæ sapor odorq. & spumæ, si cõburatur flamma, tum vena sulphuris eodem in monte reperta, dubio procul testatur; si tamen eas quispiã destillauerit, nihil sulphuris inter fæces residere videbit, ob eã caussam, quia sulphureæ illæ partes tenuiores, & optimè cum aqua mixtæ, in halitus facilè dissoluãtur. Quemadmodũ & aquas ex herbis, corticibusq. stillatitias, certum est earũ odores, ac vires perpetuo retinere, cùm tamen, vel decies repetitis destillationibus, earum rerum, vnde detractæ fuerint, in fundo relinquant nihil: quod animaduertere ij debent, quibus destillatione vires nosse aquarum animus est. Verùm non solùm emendatur aqua destillatione, sed

etiam

etiam vbi nulla est, haberi potest,hoc pacto; Vas in imo figulinum atq. rotundum,latũ cubitis tribus,tantundem in summo, in medio autem septem,plus minus; altitudine duodecim atq. amplius cubitorum,canalibus terreis totum refertũ,ita vt vnus alium in emittendo aquam non impediat;ambo extrema ncm pe imum,ac summum aperta habeat,& quę occludi, ac reserari possint;inferius quidem ferrea lamina, superius pileo figulino,totum vitro intus oblitum:impletur magna parte ab extremo superiore herbis,lignis etiam in frusta incisis,& aqua cloacarum,aut stagni,aut si hæc non adsint,terra, vel sub diuo ante solis ortum derasa;tũc enim magis humida est rore aut imbre; vel profundè effossa in domibus : cum enim aqua terræ subsit, vt profundior est,eò humidior Supponitur ignis lentus,& vasa in ambitu locãtur:Vndiq. tantũ aquæ profluit saluberrimæ, vt al endis pluribus hominibus sufficiat;nam vbi amplius non destillat,sublata lamina inferiori,detrahitur terra,aliaq. imponitur: ita fit, vt modica lignorum iactura , plurimùm aquæ habeatur. Albucasis puram aquam reddebat,accipiens ollam magnam,aquæ plenã,cui ligna sese intersecantia imponebat,ipsisque lignis,lanam mundam,optimè ablutam,&supposito igne, quicquid halitus in lanam tollebatur,exprimebat; quamquam idem auctor & destillationem probat, de qua diximus.

De Aceto. Cap. IIII.


Cetvm contrario modo ac vinum destillatur: quòd enim è vino primum exit, tenuius & melius est, at ex aceto,nequaquam. Itaq.priores duæ partes, quæ exeunt,reijciũtur,quòd minus habeant acrimoniæ, quod cum optime ipsa sit destillatione compertum, tamen ingenij sui magnitudine, quãquã huius ignarus artis. 1.de simpl. med.facult.cap.17.Galenus prænouit,licet non omnino,atque idcirco,pericula, inquit,omnia subeam, si quam machinã aut artem inuenire queam,sicut in lacte, contrariarum partiũ separationis.Hæc ille. Aceto, quæ exit, tertia pars colligitur,quæ vt acrior,ita minus frigida,quàm acetum est;quod acetum, tempore etiã fit acre,calidiusq. & tenuius vetustate, vt 11. de simpl. med.facult.& 3. de compos. med.per gen. Galenus docet. Ter

tiam

tiam partem,quam collegerunt,quidam ter aut quater supra fæces reponunt,ac destillant,vt euadat acrior, tum ipsarum fæcũ, tũ ignis ratione;forsitan enim(inquit Galenus 1.de simpl. med. facul.cap.17.) quod in aceto est veluti fæx,ipsum est, quod caloris est particeps; Quòd si adhuc ignem adhibeas, ex fæcibus illis oleũ extrahitur; & seorsum colligitur, vlceribus malignis optimum. Alij campana seu pileo plumbeo, patinaq. ærea, vt communis officinarum destillandi vsus inualuit,acetum,nulla reiecta parte destillant,&eius aquæ stillatitiæ,quæ dulcem saporem præsefert, ad quatuor vncias exhibent, cum vomitũ ciere animus est; mirificè enim, & nullo labore aut molestia id ciet: in pueris ac debilioribus,duæ vnciæ satis sunt; stomachũ optimè purgat;sed ob qualitatem metallicam, quam secum affert, assiduò vsu,& nisi foras ipsum quoq. reijciatur stillatitium acetum,visceribus officeret.Vasa autem plumbea,quib'ad id operis vtimur,acrimonia aceti corraduntur, & breui corrumpuntur;Sunt qui addant rosarum syluestrium germina;quod minime probauerim,negocium enim stomacho nimis facessere cõperi. Acetum alij destillant,ipsi calefacto ac feruenti, cyathum vitreũ superponentes,in quo aceti fumus,transit in guttas, guttæ in aquam: prodest ad oculorum maculas & suffusiones detergendas, maximè si albo aceto ruta incoquatur. Destillatur & acetum cum theriaca,addita aqua vitæ, exitq. aqua multarũ virtutum,mirabilis ad vlcera faucium,& gutturis, cum ex prauis destillationibus, in morbo Gallico, eroduntur; præcipuè autem valens,vbi profundius deduci vis medicamenti debet. Hanc descripsit vir clarissimus Fracastorius lib.3.de contagiosorum morborum cura;affirmatque si bolum Armenium, aut sphragida in ea dissolueris,ac erosas partes tetigeris, fore vt seminaria eius contagionis absumantur,&sanetur omnis erosio; valereque optimè, si loca oblinantur,vnde pili cadunt, barba presertim, supercilia, & caput. Hoc doctissimi viri inuentum, multi postea secuti sunt. Præstat etiam vbi ad intimas, aut remotiores partes penetrandum est, medicamenta, præsertim metallica, aceto præparare; quod & rerum magister usus docuit.

De

De Oleo. Cap. V.


Levm oliuarum simplex, destillari solum vix potest, quòd, vti diximus, non ascendat, separariq. a terreis partibus, aereæ, quibus abundat, minimè possint, vt Aristotelem imitatur. 4. meteororũ, Fracastorius li. de sympathia c.xi. scribit, altera enim pars ad alterã, ob aerẽ, trahitur: & si vehementi igne oleũ ferueat, aliquid è tenuioribus olei partib⁹ dissoluetur quidẽ, vt magn⁹ Alb. testis est, ceterũ reliquæ magis spissæ fient, & constabunt, cum quod in oleo terreum est, tenuius factum vi ignis, magis humido aqueo misceatur, & hoc, aereo, tenaciusq. ob id inuicem omnia adhęreant, neq. humidum olei extra partes suas terreas effluat. Si tamen virga è ligno, rectè collocetur in cucurbita, à fundo ad os summum, ascendere tradunt per ipsam virgam ob continuitatem partium, atq. ita destillare; quod idem contingit, si elichnium exylo, in vas recipiens è cucurbita pendeat. Non est autem dubium, huiusmodi oleum, & tenuius esse, & calidius, & magis discussorium, quàm oleum simplex, & celerius, intimiusq. penetrare. Si autem oleũ cum alijs commisceatur, facilius diuidentur eius partes, & magnas vires contrahit, vt hoc est, quod accipit olei omphacini lib. 2. styracis, calamiti, ladani, croci, thuris masculi, gummi arabici, rubeæ tinctorum, gummi hęderæ, aloes succotrini, mastiches, caryophyllorum, galangæ, cinamomi, nucis moschatæ, cubebarum, cuiusque unc. 2. gũmi elemi lib. myrrhæ, bdellij, singulorum vnc. sagapeni, ammoniaci, opopanacis, singulorum drach. 10. terantur omnia, & cum oleo misceantur, rostrato pileo cucurbitæ imposito, stipatisq. optimè rimis; initio ad horas duodecim ignis sit lentus; inde quibuslibet sex horis augendo, totus humor destillet; quem humorem fæcibus tritis denuo affundes, & destillabis, idq. tertia vice. Hoc oleum inquit Ioannes de Vico, balsami vires ac notas omnes habere, maximaq. illi tribuit; nam doloribus à morbo Gallico mirificè opitulatur, Epilepsiæ quoque si futura coronalis vngatur, & triginta diebus cum modico vini, & pulueris pęoniæ, ad cochlearis mensuram sumatur: quę forte quantitas maior videri potest, quàm deceat, tametsi

eadem

eadem et mensura, quartana laborantibus præbeat, quatuor vicibus, imò ad dimidiam vnciam, cum vino generoso, ijs, qui cor, & pulmonem roborare ac exhilarare student: frigidis omnibus affectibus conducit, & pannus purpureus hoc liquore madefactus, si ad tempora adhibeatur, hemicraniæ, vertigini, stipationi venarum cerebri plurimum conducit; vulneribus item recentibus, surditati, conuulsioni, resolutioni, & huiusmodi frigidis morbis. De oleo è lateribus, quod Mesues oleũ Philosophorum, & perfecti magisterij appellat, non est quod aliquid dicam, quando satis sit apud omnes notum; satisq. cõstet, oleum, lateribus infusum ascendere, & destillare. cũ autem Mesues accipiat lateres antiquos, Albuchasis in lib. qui Seruitor dicitur, nouos, quos aqua non tetigerit, Manardus huius opinioni potius adhæret, quia oleum melius imbibent: Verùm ego cum ijs sum, qui antiquos præferunt, in quibus vetustas nescio quid salisnitri, & acrimoniæ peperit, maiorisq. tenuitatis; quod enim ad imbibitionem spectat, dum ignitur antiquus nihilo minus humidi aquei fit expers. Pariter oleum cum calce viua misceri solet, & destillari, quod ossi corrupto idoneum maximè scribitur.

De Sale. Cap. VI.



NDREAS à Glauuen, medicus Germanus, uti est in epistolis Matthioli, è sale, aceto stillatitio sæpius irrigato, oleum eliciebat, modo olei chalcanthi, quo vtebatur ad dissoluendum aurum, potabileq. faciendũ, multis morbis opportunum, neq. id mirum est, cũ testetur Aristoteles sect. 23. Probl. 13. ex sale depromi oleum, atque idcirco mare deuri posse, aquam non posse, & mare minus ignem restinguere, quòd pinguius sit: Refertq. Arrianus, apud Ichthyophagos, in Indica Historia, ex sale oleum illos excipere. Alij salem igne eliquant, laterumq. fragmenta candentia in eum inijciunt, & cucurbita retorta oleum destillant. Pleriq. raphanum excauatum sale replent, qui loco humido in aquam abit, in qua fragmenta laterum candentia extinguunt, & simul destillant. Admiscent nonnulli cum sale, æquis portionibus, salnitrum, hæcq. exiccata, eliquataq. simul destillantur. Alij cum rore mi-

miſcent ſalem, quo ſtillatitio aurum ſoluunt, variaque morborum genera curant; nec ab re, quando ros ipſe magnas vires habet, & ſi ipſe ſolus deſtilletur, multiplices emittit partes, nempe aquam, oleum triplex, & ſalem.

De Sacharo. Cap. VII.



LEVM è ſaccharo aliquot grauiſſimi viri quæſiuerũt vt eſſet temperamentum oleo chalchanthi, huiuſq. vehementia retundi poſſet cum potatur, exiſtimãtes fore, vt hac ratione plurimum conduceret, nihil autem obeſſet; itaq. putatunt nonnulli ſe illud reperijſte, imponẽtes ſaccharum in acqua ardente optima, & ignem accendẽtes; vbi enim ardere deſijt, totaque abſumpta aqua eſt, oleum ſacchari apparet: ſed hoc verè oleũ non eſt, nam ſi ad ignem adhibeatur, concreſcit, quo modo manus chriſti vocata. Mirari autem fortaſſe quiſpiam poſſet, cur cum ſaccharum, aqua, iure, & ceteris humidis rebus liqueſcat, in aqua tamen vitæ aut nulla ratione, aut certè difficile ſoluatur: ſed ob ſiccitatem ardentis aquæ fieri id puto, quæ conſeruat, cogitq. non deſtruit, ac diſſipat; quamquam ob tenuitatem penetrare in minima foramina poſſit. E ſaccharo & mercuriali herba oleum eliciunt, quod optimum colorem faciei conciliat, Epilepſiæ conducit, ſi quadraginta diebus, quotidie mane, drachma exhibeatur: quòd ſi cum caſtoreos ſumatur, neruorum contractiones remouet cuiuſcumq. loci; ſanat quoq. ſtuporem membrorum; viſus hæbetudini confert, in oculis poſitum: ſic autem efficitur; cum ſaccharo partes æquales mercurialis conterunt, & in curua cucurbita octo diebus macerant, inde duplici vaſe deſtillant; manat enim oleum album. Quòd ſi ſaccharo, duplum aut etiam triplum fragorum maturorum addatur, & octo diebus, tepentis aquæ balneo aqua extillet, exibit aqua ad faciei ictus cũ inflammatione, ad lacrymantes oculos, ad viſus imbellicitatẽ admodum vtilis. Pari fermè ratione ſaccharum ſtibij qualitatem recipit, ac potius oleum ipſius, colore rubro, ſanguinem referẽs, in vas recipiens defert. Verùm igne vehementiori hic opus eſt cucurbitæq. incuruæ, optimo luto incruſtatæ, fundus, nullo cinere ſuppoſito defenditur, ſaccharumq, cãdum eſſe debet; Epi-

lepticis hoc oleum, omniq. cerebri affectui prodest, bibitum: accipiũtur autem sacchari & stibij æquales portiones, & supra marmor optimè simul teruntur. Alij ad libras quatuor sacchari, addunt rhapontici libram, rhabarbari vnciam, florum mercurialis libram, omnibusq. contusis, optimi, ac generosi vini tantum affundunt, vt emineat parum, & vbi sex diebus tepentis aquæ balneo, vel fimo macerata fuerint, destillant vitreis organis, eodẽ balneo; inde fæces diligenter prælo exprimunt, illisq. aquæ stillatitiæ, scabiosæ, fumiterræ, borraginis, cuiusq. vncias sex affundunt, inde prælo denuo exprimunt, stillatitiasq. huiusmodi aquas filtro excolant, dum perspicuæ sint, cum prioriq. aqua coniungunt, ad multaq. morborum genera vtuntur, stomachi præsertim & lienis imbecillitati, doloribusq. dentium & capitis: Hec autem eò efficaciora redduntur, si ad huius aquæ libram, dimidium scrupulum olei vitrioli adieceris.

De Melle. Cap. VIII.

EMELLE difficile acqua elicitur, quod facile ignis vi ferueat, & totum ascendat, quamobrem alij vitrũ commiscent, alij arenam, pleriq. oleo cucurbitã interius inungunt, sed melius sincerum destillatur, prę sertim vbi etiam fæcibus vti consilium est; lineisq. pannis aqua madentibus, pileo & cucurbitę assiduè circumpositis, exiguoq. igne inferius admoto, tumenti, feruentiq. resistimus, multũ vacui in ipsa cucurbita relinquentes, sic vt quinctã solùm parte impleatur, aut ad summum, quarta; Quoniam autem igne satis vehementi tandem opus est, idcirco optimè luto incrustari debet cucurbita, quam nonnulli etiam curuam accipiunt. Primò autem aqua exit alba, auctiore mox igne, flaua; & tãdem rubra, quæ seorsum colligitur, cum ignis odorẽ sapiat, & ad alia adhibeatur, quam duæ priores; nam ad vlcera profunda, serpentia, sordida, cum vnguentis vtiliter miscetur, & capillos tingit; superiores alba, & flaua, purgato iam corpore, suffusiones & albugines oculorum sanant, lenior tamen ea putatur, quæ è melle rosacco, deinde quę ex melle communi, post etiam è scillitico: quod si oculares herbas infuderis, nempe seseli, euphragiã, chelidonium, rutam, summitates, atq. etiam semen fœniculi, sagapenum,

num, modicum sacchari candi, ammoniacum, galbanum, multo efficacius medicamentum effeceris. Casui pilorum, ipsisque producendis, ac ruffandis, optimè faciunt eadem aquæ, & earũ quas illis infunderis, rerum vires ad se trahunt, perinde ac aqua ardens. Sunt qui aquas omnes destillantes vnico vase recipiãt, & vbi pars crassior ad fundum vasis, in quo seruantur, descenderit, perspicuaq. aqua euaserit, tepentis aquæ balneo iterum destillant; idq. sexies aut septies repetũt; rufo enim colore amisso, aureum acquiret hic liquor, cuius in tuenda valetudine, producendaq. vita admirabiles penè vires prædicant; catarrho; tussi, lieni prodest; imbecillas vires restituit, stipationes reserat, putredinem arcet, venenis resistit, ac vrinam ciet.

De Cera. Cap. IX.



VM aliquid mellis adhuc Cera referat, idcirco, vt scribit Galenus, paullũ quiddam digerentis, calidæq. facultatis retinet; neq. verò dubium est, quin aliqua ex parte propolim sapiat, nempe suum fundamentũ, ac quasi initium: quæ propolis, cerosæ, vt asserit Dioscorides, naturæ, imò cera virginea, vt Scribonius vertit, magno ad medicamina vsus a Plinio lib. 11. cap. 7. scribitur, & admodum valenter attrahentis est facultatis, adeò vt magnoperè euocet, & aculeos, & omnia corpori infixa extrahat: Non igitur fuerit mirum, si stillatitius ceræ liquor magnas vires habeat, nam cũ cera ipsa omnium ferè qualitatum medio temperata sit, nonnihilq. aquirere ob destillationẽ, tenuitatis possit, meritò ad propolis vires, suis non amissis, accedet; quamobrem non iniuria in hoc multi elaborarunt; Itaq. eliquatam ceram in aquã communem proijciunt, idq. ad octo, aut decem vices repetunt, manibus semper agitando, macerandoq. inde retorta cucurbita, absq. cineribus lento igne eliciunt oleũ, quod cũ primo exeat butyri modo, quinquies, sexiesuè est repetenda destillatio, dum oleum exeat, quod non concrescit, nec cogitur; atque id signũ perfecti olei, repetitis destillationibus expectandum est: cõfert hoc oleum doloribus stomachi, & præcordiorum, tussi, humoribus crassioribus è pectore expurgandis, vulneribus quoque cruentis, & partium neruosarum optimè conducit. Ad emol-

liendas quoq. duritities, est præstātissimum: maximè. n. penetrat emollit, ac discutit, doloribus arthriticis, ac podagricis admodum vtile. Sunt qui, vbi mel, ac cera diligēter ex apibus expressa sunt, apes siccant, & cum cera miscent, oleumq. destillatione eliciunt, podagricis vtile. Vt tamen oleum è cera efficacius ad vlcera habeatur, pleriq. eliquatam ceram, vino albo generoso septies, octiesuè extinguunt; nam magis vinum extenuat, & ad partium separationem conducit, eodemq. vti supra dictum est, modo oleum destillant; Ceram alij, eadem ratione eliquatam, in vrinam conijciunt, laterumq. puluerem addunt, ac recurua cucurbita, optimè stipatis rimis, destillant, moderato primum igne, mox auctiore, vulneribusq. magno successu imponunt, præsertim vbi ter repetita fuerit destillatio, singula destillatione, quod manat oleum, seorsum asseruantes. Alij ad ceram adiungunt thus, myrrham, & aloem æquis portionibus, & oleum eliciunt, ad uulnera optimum.

De Butyro. Cap. X.


VI Butyrum destillant, ij videntur parum vtilitatis recipere, quòd, vt Auerroes inquit in Quartum Meteororum, crassius fiat a calido, propter admixtionē partium ærearum cum aqueis, vnde magna sequitur tenacitas, non negauerim tamen quin vti prima sect. diximus, destilari aliquo modo possit, & acquirat maiorem tenuitatem ac penetrationem, qua expectorare humores, pulmonemq. expedire, & coquere etiam cruda possit. Destillatur autem cucurbita retorta, cum parum possit ascendere; faciliusq. ascendit, cum alijs rebus iungitur, ut ij faciunt, qui nimia macie extenuati pinguescere student; accipiunt enim butyri recentis lib. duas, anatis & capi carnem, quæ in lib. 18. aquæ ad dimidias decocta fuerit, vnà cum ipso iure, in quo albissimi panis medulla infunditur, modicoq. sacchari adiecto, vitreis organis aquam eliciunt: pleriq. plura addunt, vt res magis, minusùe postulat. Ipsæ etiam mulieres stillatitio butyro, faciem, manus, pectusq. inungunt, ut ne rugas contrahant, cutemque emolliant: tametsi ipsæ quoque oryzam in pedum vitulinorum iure decoctam, panisque micam lacti infusam, ouorumque candida cum corticibus, &

bus, & huiusce generis nonnulla adiungunt, simulque destillant, vt iuuentutis speciem mentiantur. Plurimum autem stillatitius butyri liquor, venenis, præsertim erodentibus, aduersari creditur, quòd ob tenuitatem penetret, facileq. cum veneno misceatur, & eius acrimoniam ac malignitatem, motumque ob pinguedinem, atque vt ita dixerim, vnctuositatem, compescere possit. Ad neruorum vlcera, & vulnera vtiliter etiam adhibetur.

De Sanguine. Cap. XI.

SANGVINIS vires eiusmodi sunt, vt nobilioribus antidotis misceatur, multisq. alijs remedijs, Dioscoride teste, libro secuudo capit. 72. quamquam Galenus libro decimo de simpl. de med. facult. frustra se expertum afferat aliquorum sanguinum vires, scribatq. abstinuisse eorum vsu, metuens ne curiosus aut stolidus videretur: lib. tamen. 2. de antidotis cap. 8. Antidotum de sanguinibus, magnum medicamentum ad venena, venenatorumq. morsum, appellat, conficitur autem ex sanguine anatis maris, & fæminæ, sicco; hœdino item & anserino; quod & posteriores medici perpetuò in pestilentia plurimum probarunt. Videtur autẽ sanguinis vsus, à magno illo Mithridate Rege, originem habuisse: qui tamen Rex non omnem sanguinem antidotis miscuit, sed tantùm anatum Ponticarum, quoniam veneno viuerẽt. Quod ad destillationem sanguinis attinet, non vnus est eius destillandĩ modus; plerique enim accipiunt sanguinem humanum, ex homine boni temperamenti & carnosi εὔχυλον καὶ εὔσαρκον appellant ad annum trigesimum sextum, ex eoque aquam, lento igne, & organis vitreis eliciunt; idque nonnulli ter repetunt. Alij sanguinem ipsum recentem, cum aqua ardente commiscent, indeque aquam extrahunt, & hunc modum alijs præferunt. Aliqui loco mundo ac pendenti sanguinem locant, vt ab eo serum omne percoletur ac separetur, postea optimè conterunt, & lento igne destillant aquam, inde aucto nonnihil igne, non tamen admodum, destillare sinunt id omne, quod destillare potest; mox frigefacto vase, quod re-

liquum est in fundo, siccum, ponunt in furno reuerberationis appellato, igneq. non multum violento, in calcem redigunt, cui calci aquam superius extractam infundunt, duabusq. horis feruere supra cineres sinunt, & quod dissolutum fuerit, in aliud vas demittunt; nouaq. iterum superfusa aqua idem efficiunt ac repetunt, dum totum sal detractum fuerit; tuncq. extracta, repente balneo mariæ, aqua, in fundo sal candidissimũ remanet, cuius mirabiles prædicant vires; quas non omnino à veritate abhorrere, naturæ proprietas ac consensus suadet. Sanguinem alij exiccatum, ac in puluerem redactum in cucurbita cuius sit collum longum, ponunt, appositoq. rostrato pileo, cum recipiente vase, igne lento destillant, dum omnis exhalet humiditas; aucto mox igne, sal in sublime effertur, albissimum, cuius nequaquam minores esse vires asserunt, in pestilentia præsertim, malignisq. febribus, & viribus restituendis. Sunt qui cum sanguine miscent medullam Tauri, & sperma ceti, cuiusq. libram, moschi vnciam, cineris oliuarum, vnc. 2. aquæ vitę optimæ lib 2. & cucurbita retorta aquam eliciunt, dum substantia omnis manauerit: quam denuo ter destillant calentis aquæ balneo, ut fœtorem omnem amittat, seruantq. vitreo vase optimè clauso, vtunturque intus atq. extra, guttam vnam, aut alteram cum iure, aut vino exhibentes. Sed rerum adeo diuersarum, ac dissentientium, coniunctionem, nunquã probaui, præterquam quod destillationem sustinere moschum vix puto: Melius fieret si in aqua ardente diambrum Mesue infunderemus, & sanguinis sal dissolueremus, de quo dictum est. Gordonius sperma ceti tantùm, & medullam bubulam addebat, & quatuor eliciebat liquores, album, pallidum, flauum, postremò rubrum, crassiusculum, cuius ad tuendas vires, restituendosq. ægrotos penè desperatos, & ad alia complura, incredibiles vires prædicat; est tamen incredibilius quod ait, cum Luna crescere, & decrescere. His autem stillatitijs è sanguine medicamentis rectè confectis, & interius exteriusq. adhibitis, melius iuuari elephantiasi, & huiusmodi morbis laborãtes crediderim, quàm eo balneo, quod Galenus libro decimo de simpl. medic facult. deridet; quod tamen si purgato diligenter corpore, superataq. interna viscerum malignitate, fiat, fortasse ob sympathiam, qua tolli venenata qualitas partium posset externarum, non omninò inutile videretur. Scribit autem

egregius

egregius Medicus Guainerius, de febre hectica, loquens, in restituẽdis, alendisq. ægrotis huiusmodi è sanguine liquores plurimùm facere; Bartolomeumq. Montagnam, Patauij, eo perinde ac maximo arcano, vti maximè solitum; cum tamen, inquit Guainerius, parandi illius rationem ignoraret; quã sic ipse docet Guainerius. sanguinem, è sanguineis iuuenibus, optima victus ratione vtentibus, nuper detractum, vbi quiescere permiseris, sic vt enatans aqua abijciatur, cum modico sale trito, agitabis, post ubi 40. dies fimo obrutus fuerit, vase accurate clauso, destilla, aliquot vicibus aquam fæcibus superfundens: aquam sic tandem habueris, è qua, adiecto sacchraro, zulapium confici potest, maximo auxilio, his qui hectica febre laborant. Quod si stillatitia eadem aqua, iterũ fimo 40. diebus maceretur, melior adhuc esset, fæcibus, si quæ in fundo remanserint, reiectis. Fiat igitur in humo fouea, & triticea pasta circumliniatur; in ea fimum, in fimo vas locetur, sic tamen vt vasis dimidium in aere extet. Vel loco fimi, vinaceæ adhibeantur; aut ad solem appone diebus canicularibus: Ceterum hoc loco nequaquam obliuioni tradenda fuerint, quæ nos supra, de putrefactione diximus, præsertim cum Guainerius, Montagnanam arguens, nihil interesse inter calorem humidum, & siccum putet; cum tamen plurimum intersit. Itaque, mea sententia, putrefactione abstine, ceteris utitor. Quòd si dictamnum, scordium, tormentillam, citria mala, cum radice borraginis, oxalydis, endiuiæ & huiusmodi, iungeremus, mirabiles haberet, quas diximus, in pestilentia vires. Capitis etiam morbis auxiliari tradunt, & virtutem vitalem roborare. In destillando ceruino sanguine, quoniam sal ad vasis latera adhæret, is oleo abluitur, & vitro conditur: nam singulare propemodum ad podagram discutiendam remediũ esse, grauissimi auctores produnt.

De Stercore. Cap. XII.

POSSUMUS iure forsan repræhendi, quòd stercore, nostrum hunc librum conspurcare non vereremur, nisi nos grauissimorum virorum auctoritas defenderet: Dioscorides enim & Galenus suis libris de illo latissimè tractarunt, vt alios taceam antiquiores, ac recentiores:

res: Ipseq. luculentissimus materiæ medicæ restitutor, Petrus Andreas Matthiolus, de oleo, & aqua ex humano stercore extracta sic scribit; Cęterùm fit ex humano stercore vitreis organis aqua, præsertimq. ex eo, quod homo rufus excreuerit, quæ cuniculosis, exedentibus, sinuosis, & contumacibus vlceribus mirificè opem pręstat; delet & oculorum argemas, ac nubeculas· quin etiam carcinomata sanat exterius adhibita. Intus verò sumpta, comitiales iuuat, lapidem in renibus ac uesica cōminuit, aqua intercute laborantibus prodest, item & *ijs* auxiliatur, qui non modo a cane rabido demorsi sunt, sed etiam ab omnibus alijs animalibus icti, quæ venenum eiaculantur. Porrò oleum, quod post eius stillatitiam aquam ab organo emanare solet, carcinomata, sinus, aliaq̃. vlcera, quæ à Græcis cacoethæ dicuntur, etiam ualentius sanat. Hęc Matthiolus Non desunt qui hanc aquam, in pestilentia maximè probent: sed cū illam ego; mihi dono datam, quibusdam ulceribus admoueri iussissem, non ea reperi quæ scribit Matthiolus, erat autem antiquior, & nequaquam multis uicibus illa usi fuerūt: quæ forsan fuerunt in causa, vt ostendere vires suas non potuerit. Vt autem teter odor, quam seruat aquæ, aliqua ex parte minuatur, ad estremum rostri conducet apponere moschi parum, aut aliud quid odoratum, & morbo cuius causa destillatur, opportunum.

De floribus, ac herbis generatim. *Cap. XIII.*



NEQVAQVAM immeritò flores hoc loco succedunt, vt suo odore, stercoris fœtorem tollant, atq. abigāt; vt autem ex ipsis oleum eliciatur, sic faciendum est: Contusas frondes aut flores, simul, seorsumuè, vt libuerit, ponimus in macula, cuçurbitauè recta, aut curua; quodcumque enim illud sit, nihil refert, ad singulas florum libras, addimus olei amigdalarum dulcium recentis, parum, nempe vt caussa exempli dicam, vnciam vnam cum dimidia, aquæ etiam ardentis quantum videbitur, poterit autem apponi vncia; clausoq. optimè vase macerentur omnia, decem, quindecimuè horarum spatio, fimo equino, aut balneo tepentis aquæ: inde imposito pileo, vaseq. ad cineres admoto, destillet lēto igne, nam

aqua

aqua manabit, quæ vbi ceperit rubescere, vase, quod recipit, mutato, augebitur ignis, aqua enim, & oleũ simul destillabunt; auctiore autem facto adhuc igne, alio vase recipies solum oleũ; Quod autem cum aqua simul destillauit, separari facilè potest. Oleo ha carte ex absinthio, aut mentha, collecto, mirificè congenitus hepatis, & ventriculi calor, atque aliarum partium iuuatur; mirum enim in modum penetrat. Possemus etiam alio modo operari, maceratis enim calentis aquæ balneo floribus vti supra dictum est, prius eodem balneo aquam solam elicere, inde quod remanet ad cineres admouere, auctoq; sensim igne, elicere aquam, & oleum. Quamquam autem absque aqua ardēte elici huiusmodi è floribus ac herbis oleum posset, tamen si addatur, magis odorem retinet: licet in floribus frigidis, cuiusmodi sunt violæ, nympheę, papauerisq; melius aqua ardente abstineremus, ob qualitatem aduersam naturam, qua efficitur, vt a qua ipsa ardens aut nihil, aut certè parum excipere ac retinere earum virium, odorisq; possit. Cęterum illud non est ignorandum, qui flores, quæque herbæ acuto odore sunt, nucibus associari; quæ suaui, amigdalis, exprimique inde oleum, cuius modus ad nostrum nō spectat institutum. Sunt qui omnia, quæ expressione eliciuntur, sabulo prius macerent, non in sole; quæ verò destillatione oleum reddunt, in sabulo ad solem, quæ reddunt aquam, in fimo. sed non est hoc perpetuum, Non desunt etiam, qui floribus ardentem aquam tantùm imponunt, tribusque diebus macerant, inde aquam rosaceam stillatitiam addunt iterumq; vno die macerant, mox aquam tepentis aquæ balneo eliciunt, quod & seruandum iubent in oleo è nuce myristica detrahendo, aucto tamen posterius igne; qui modus nequaquā contemnendus videtur. Aquarum autem è floribus eliciendarum, non vna ratio est, de qua abundè Euonymus; Andræasq; Furnerius. Alij flores ac frōdes in cucurbita vitrea optimè clausa, subere præsertim ac papiro, ne respirare aliqua ratione possit, soli feruentissimo exponunt; collocatur autem cucurbita in vase sabuli pleno, & ad dimidium sabulo contegitur, asseruntq; intra paucas horas aquam clarissimam ascendere, ac descendere; quam extrahunt, & seruant; iterumque cucurbitam claudunt, & vbi aquam denuo vident, extrahunt, hacq; ratione omnē paulatim colligunt, dum nihil amplius aquæ ascendat. è floribus rorismarini quæ ita elicitur aqua, maximè odorata est, si ad ignem

in cubiculo ferueat, ut in ceteris odoribus fieri consueuit, plurimum prodest frigidis affectibus capitis; oculis quoq. nebula, ac hiusmodi impedimentis perturbatis, mirificè cõducit: succurrit fœtido oris halitui, si tertio quoq. die vncia bibatur. Sunt qui hos flores, uino optimo infusos, diebus aliquot in fimo macerant inde vitreis organis, modico igne, aquam eliciunt, quã denuo tepentis aquæ balneo destilant, eaq. utuntur ad stomachi imbecillitatem, ad Epilepsiam, paralysim, memoriamq. labantẽ, Pleriq. ex herba, cuius accipere vires student, succum expressum, decem diedus equino fimo macerant, postea eliciunt aquam igne cinerum, quam balneo mariæ iterum destillant, inde macerant, uti supra, mox sabulo circa vas posito denuò ui ignis aquam eliciunt; aiuntq. haberi tunc aquam & aerem, quæ igne primi & secundi gradus extrahi nõ poterãt; vt autem aquã ab aere separent, balneo destillant, sic enim aqua exit, in fundo autem vasis aer & ignis remanent, atq. ita elementa extraxisse putant; de quibus quid sentiam, superius significaui. Hæc autem quæ supra dicta sunt, de floribus potissimum intelligere debemus, quorũ est substantia tenuior; in herbis ac folijs non sẽper tanta diligentia opus est, si quidem ex ipsis in matula aut cucurbita positis aqua elicitur, vt passim officinæ faciunt. Nõnullorum est etiam sententia, quæ ex herbarum succis ac frustuũ destilat, aquã illi præstare, quæ ex ipsis herbis ac frustibus destillatione elicitur. Nec desunt, qui, ne comburantur, in fundo matulæ sabulum ponant, crassitudine medij digiti, & supra ipsum, herbas, ac flores. Mali arantij folia sic aquam odoratam destillant, sic & trifolium odoratum. Hieronymus Brunsuicensis, ex aridis herbis, rore ter destillato, maceratis, aquam eliciebat; sed in colligendo rore, diligentia adhibenda est, ne è venenatis, aut veneno infectis herbis habeatur; quamobrem nõnulli, linteo ad hastæ prælongę caput alligato, & per lini virentis summa deducto, mane eum colligere consueuerũt, expresso sæpius madente linteo. Feni etiam oleum plerique sic habent: Incendunt flamma fænem, mox restringuunt statim, fumũ autem ferrea lamina colligunt, si quidem ad eam laminam oleosus adhærsui liquor, quod feni oleũ uocatur, quod ad herpeta etiam estiomenon egregiè facit.

De Rosa. Cap. XVI.



STILLATITIVM rosarum liquorem, Actuarius, Grecus scriptor, Ioanne Ruellio interprete, viro doctissimo, ἰοσταγμα nominat: non possum autem non mirari, Gesnerum, Medicum alioqui eruditissimum, in Euonymi sui præfatione asserentem per ἰοσταγμα non aquam stillatitiam, Actuarium intelligere, sed sirupum è rosis; nam in zulapio contra tussim, cum iubet feruere appositum ἰοσταγμα dum totum euanescat, quomodo poterit id de sirupo accipi? quod etiam patet in antidoto Diamelon; & in alijs pluribus locis. Idē dixerim de intybo stagmate, quod vt idem inquit clarissimus Medicus Ruellius, stillatitiū intybi liquorem, penes ipsum Actuarium, nobis refert. Idem sentit, & Syluius: neq. id mirum fuerit, quando satis constet, Actuarium fuisse Arabes secutum, qui huiusmodi stillatitijs liquoribus zulapia sua cōficiebant, vt cognosci ex Auicenna, & Mesue potest; Varijs autem modis, quos nō modo Albuchasis, sed recentiores complures descripserunt, è rosis stillatitia aqua, cùm simplex, tum odoramentis cōmixta elicitur; qui quoniam notissimi sunt, non est cur describam; Affirmat Auicenna, aquam hanc, syncopi cōferre, optimamq. esse epati si bibatur: quod si cum melle iungatur, stomachū iuuare, & coctionē. Quamquam autem testatur doctissimus Mathiolus vitreis organis odoratiorem longè elici, per balneū calentis aquæ, tamen quibusdam contrà accidit, vt scilicet minore fragraret odore, citiusq. putresceret; neq. forsan iuiuria, quòd, vti diximus, quandoq. moderatiore calore non omnes eæ partes eliciantur, quas quærimus, & satis constet, è carbonibus odoratiorem aquam elici, vel ea ratione, quòd siccius quidpiam educat; Ceterum duo nobis potissimum stillatitius hic liquor patefacit, Primum, vti memorauimus, in deijcienda aluo, minores esse stillatitiorum liquorum uires, quam diluti, cum rosarum dilutum aluum soluat, non autem stillatitius earum humor. Alterum, cum aqua hæc, vbi statim destillauit, parum oleat, ac ferè nihil, multum autem ac suauissimè, ubi solis radijs ac calore cocta, ut ita dicam, fuerit, & omni prorsus fumo, qui est, ut dicit Aristotelis sect. 22. probl. 4. vapor aqueus, purgata, significat non omnem statim humiditatē

aqueam, vnica destillatione exhauriri; odor enim à siccitate proprie efficitur. Neque verò nobis repugnat, quòd rosa ipsa cum est adhuc in roseto, maximè odorata percipitur, cum tamen nihil ab ipsa humoris eductum sit, cuius tamen aliquid, etiam in prima destillatione, amisisse, necessariò fatendum est; quin matutino tempore, cum multū adhuc humiditatis in rosa est, suauiorem ipsa, ac magis acutum odorem spirat; sic vt humiditas acuere odorem, non extinguere videatur. Non hæc inquam, nobis repugnant; quod enim ad postremum hoc spectat, per antiperistasin fit; ipseq; Plinius lib. 21. cap 4. scribit, rosam locis siccis, quàm humidis, omnem esse odoratiorem. Primum autem ex eo tollitur, quòd terreæ partes ac licciores, quæ, stillante humore, in fundo vasis remanent, in rosa ipsa virente, ac florente habentur; gignitur autem odor, vt Philosophi asserunt, ex sapido sicco, existente in aqua vel aere, quatenus ab humiditate, quę in illis corporibus inest, siccitas sapida, quam aliqui terream appellant, abluitur, & quasi inundatur: Quo fit, vt in destilatione per descensum magis sernetur odor, quòd terreæ sicciores q; partis magis reprimantur, & eliquentnr, quam in distillatione per ascensum: quanquam etiam in stillatitio hoc humore seruetur; qui veluti materia omnium odorum è floribus eliciendorum, est: macerantur enim flores, vti lauendulæ, Gelsomini, seu Iasmini, & aliarum herbarū, in aqua rosacea stillatitia, inde aqua destillatione elicitur; cuius hoc poterit esse exemplum, quod habet, Aquæ rosaceæ stillatitiæ, è rosis præsertim Damascenis vocatis, lib. sex, earundem rosarum recentium lib. 3. florum lauendulæ, spicæ, seu nardi Italicæ singulorum recentium vnc. 4. florum periclymenri, gelsomini, ligustri, cuiusque lib. 1. s. florum mali aurantij, siccatorum, vnc. 3. corticum citri exiccat. drach. 4. caryophyllorum drach. 1 s. cinamomi, irreos optimi, stiracis calamiti, benzuini cuiusque scrup. 2. nucis myristicæ scrup. 1. vini Cretici cyathum. Quæ in puluerem redigi possunt, in pollinem adducantur omnia, aliquotque dierum, nempe vnius, aut alterius, sunt & qui plurium, spacio maccerentur, inde calentis aquæ balneo educatur aqua, cui addunt moschi, & ambræ cuiusque scrup. 1. s. seruantq; in sole plerosque dies, inde vtuntur. Cordi & cerebro prodest, exterius, interiusq; adhibita, nec non & stomacho. Sunt qui santalos addant, & alia huiusmodi, quæ vsus ipse, & scopus vtentium suadet: Est autem

sim-

simplex ex stillatitius rosarum liquor, frigidus potestate; quamquam enim Galenus lib. de simpl. med. facult. 8. de rosa scribẽs, asserit aqueam eius partem, calidam esse, libro tamen 6. de atriplice dixerat, frigiditatem primi gradus, cuiusmodi rosis inest, tepidam ab ipso caliditatem poni. itaq; lib. 4. cap. vltimo aperte scripsit, frigidam esse. Horum si meminisset Auicenna, nequaquam fortè reprehendisset Galenum de coriandro scribentem, partem eius aqueam, esse tepidam, quasi voluerit coriandrum esse ex omni parte calidum: nam tepidum intellexit primo gradu frigidum, quod & insign. s ille Archigenes, & Rufus, & ipse etiam Auicenna sentiunt; atque hoc est quod dicebat Galenus, ex contrarijs facultatibus coriandrum componi, licet calidior superet; Quamquam autem odorata omnia videntur esse calida, docet tamen eodem 4. de simpl. medicamen. faculta. Galenus, acerrimus harum facultatũ indagator, ex odore nihil definiri de rerum temperamento posse.

Oleum è rosis, magno in precio à plerisq; habitum, ita conficitur. Rosarum folia, in vmbra aliquandiu asseruata, in matula vitrea magna ponuntur, cuius fit fundus latus, & ad dimidium vas impletur; inde affunditur ipsis rosarum folijs, tantum aquę rosaceæ stillatitiæ, quantum sat fuerit, vt optimè madeāt: appositoq; pileo vitreo cæco, stipatisq; optime rimis cera gũmata, quindecim diebus equino fimo macerantur, sic tamen, vt mutato, cum frigescere ceperit, fimo, calor æqualis seruetur. Apposito mox matulæ rostrato pileo, igne moderato cinerum, aqua omnis elicitur, quæ rursus in eadem matula, optimè prius à fæcibus mundata, ablutaque ponitur, & calentis aquæ balneo lentissimo igne, elicitur, dum tota in vas recipiẽs abeat, nam in fundo matulæ remanebit oleum rosarum, colore rubrum, pespicuum, & moschi odore suauiter fragrans; viribus cordis, ac cerebri roborandis apprime vtile.

De Absinthio. Cap. XV.

EX ijs, quæ superius à nobis dicta sunt, cum pateat, crassiores, terreasq; rerum partes, in quibus vis posita est, adstringens, vnde roborantur corpora, aut omninò non elici, aut certè parum, sed in fundo remanere, idcirco qui Absinthij aquam destillatione exceptam

qui

qui Absinthij aquam destillatione exceptam roborando stomacho, præbent, ij cum egregium putent medicamentum exhibere, nullo aut certè exiguo utuntur. Costant Absinthium, ut ex Gal. Meth.lib.11.cap.16.Mesues scribit, substantia duplici, altera calida, amara, nitrosa, purgante, obstructa liberante; altera terrea, styptica, partes cogente, roborante, præsertim siccatum. Cum autem substantia eius calida in superficie sita sit, vbi sumptum est absinthium, ab ea prior fit actio à terrea styptica, posterior, per quam comprimendo uentrem soluere, nonnulli sunt malè opinati. Ventriculum igitur & iecur hac parte roborat; succo tamen, vti Dioscorides testatur, stomachum malè habet, & capitis ciet dolorem. Asserit autem Plinius, eius decoctum stomacho saluberrimum esse, quod à Dioscoride accepit, qui decoctum absinthij, præcordijs, iecinori. stomachoq. longa valetudine laboranti subuenire tradit; & quidem non iniuria, quãdo decoctio, quo ad adstrictionem parandam, longe efficacior destillatione sit. Scribit enim secundo de alimen. facult. cap.32. Galenus, corpus ipsum solidum, quod in aqua elixatur, qualitates, quæ initio sibi inerant, in ea deponere, ita ut tandam ἄποιον, quod uocant, & aquosum euadat, neq. quidquam salsedinis, aut amaritudinis; aut acrimoniæ, aut adstrictionis habeat. Idem etiã infusio, seu maceratio, ac dilutũ, licet aliquantò minus, potest. Auctor enim libri de Theriaca ad Pisonem, siue Galenus fuerit, ut putant, siue alius, qui tamen antiquus est cap.3. scribit, Arriã ab ipsis Impp. Antonino &c. commendatam eximiè, quod Philosophiæ diligenter operam daret, & præcipuè lectione Platonis delectaretur, non leuiter olim ęgrotantem, medicos sanasse: nam laborabat languore stomachi, atq. ideo ita supine decumbebat, ut ne cibum quidem accipere valeret; vnde periculum ipsi imminebat, ne defectu nutrimenti periret: Tunc itaq. sicut expertissimi solent medici, ipsam sanarunt, vinũ absinthio medicatum, Galeno commonstrante, propinantes: mox enim ut tale uinum bibit, & stomachum roborauit, & celeriter cibi appetentiam recepit. Itaq. si Galenus absinthio Pontico vtens, vndecimo Methodi cap.16. reliqua fugienda dicit absinthij genera, idem de aqua stillatitia absinthij dici fortasse posset, nisi ob tenuitatem substantiæ penetrans, expediret infarctos meatus, & cum nitrosa plurimum qualitate careat, ijs etiam careat incommodis, quæ lædere stomachum consueuerunt; præstetque ob

id

id succo, quia neque capiti nocet, ut succus, neq. lędere ipsum stomachum possit: succus enim absinthij, abrotono similis videtur, quod cum paucissimę acerbitatis sit particeps, teste Galeno. *6.* de simpl. med. facul. inimicum stomacho est. Solet autem dubitari, cur absinthij aqua plumbeis organis destillata, subdulcis sit; In qua re Hieronymi Cardani, viri alioqui doctissimi, responsio satisfacere non videtur, cum ait lib. de varietate rerum 10. id fieri, quòd crassior substantia amaritudini iuncta, non ascendat, ob grauitatem; quæ verò in medulla & reliqua, humidior, subdulcis & leuis ascendit. Etenim cortex amarus; quod sub cortice, in caule, aut ramulis, dulce. Sed non ob hoc, verùm quia humidius, ac tenuius. portio enim ex herba ascendens, si loco solum distincta esset, aut maximè amaram redderet aliquo modo aquam: At nulla ex parte amara est, non tota autem loco separatnr amaritas; necesse igitur hoc, ob substantiæ varietatem accidere. Hæc Cardanus cap. 50. qui si sciuisset aquam, vitreis organis, ex absinthio, amaram elici; non fuisset in hac responsione imitatus Monachos illos, qui in Mesuem scribentes, idem responderunt. Videturque Cardanus, Galeno, & cæteris aduersari, qui amaritudinem in absinthij tenuiori parte locant. Itaque eam potius esse caussam putauerim, quòd cum amara sint calidiora dulcibus, sic ut mel, si uim ignis vehementius patiatur, amarum fiat, ut Galenus lib. de oculis docet, si caliditatem moderabimur, moderari quoq. sapor amarus poterit: Non est autem dubium frigiditatem plumbi, id efficere in destillando absinthio posse, cum uapores, qui ex absinthio in sublime efferuntur, per ipsum plumbum iam calefactum, pererrent. cuius rei argumento id esse potest, quod ipsius dulcedinis sapor, non tantū in absynthij stillatitia aqua percipitur, sed in quauis alia, quæ ex herbis temperamento calidis educitur, vt doctissimè animaduertit suis in Dioscoridem pulcherrimis cōment. Matthiol. qui tamen paulò secus huius rei caussam videtur adscribere, asserens, plumbeum instrumentum, huiusmodi herbarum vaporibus tum actu, tum potentia excalfacientibus, terrena quadā substātia superficie tenus infici, quę actutū in dulcissimā veluti cerussam cōuertitur: quamobrē non mirū videri, si aquæ, inde manātes adscititia dulcedine imbutę, gustu dulces percipiātur. Huc accedit, quod cū aquę tepētis balneo educitur aqua, nequaquam in auras euanescunt partes tenuiores, in quibus

bus amaror inest, quod contingit vbi carbonũ ac lignorũ uiolento igne utimur. Quamquã dulcedo, quæ in aqua ab sinthij prædicatur, plumbeis organis educta, aut breui durat, aut ea est, quã Galen. 4 de simpl. med. facul. c. 4. scribit, aquei .s. saporis; & dũ aquam dulcẽ Dioscor. appellat, quæ nullius omninò sit qualitatis particeps. Aqua igitur ex absinthio vitreis organis, & tepente balneo elicita, stomachi & iecinoris infarctus mediocriter expedit, quod in venis biliosum est, per urinas expurgat; iuuat arquatos, mẽses morantes ciet: *stomacho* negocium non facit, neq. capiti nocet succus, qui idcirco nocet, quòd, ut ait Mesues, nitroso sit sapore, & mordeat, fumosque in caput efferat, quibus aqua destillatione excepta caret. Ex huiusmodi herbis ac floribus aquas, præsertim quę vase duplici, aut vapore aquæ feruentis destillantur, quotannis mũtãdas scribit Sylüius lib. 2. de me. simp. ꝑpar. humidiores. n. sunt, quã quæ flamma, & carbone, etiam per cinerẽ, scorię ferri puluerẽ sabulũ destillatur; optimũ quidẽ viri clariss. consilium; tametsi vltra annũ etiam seruari quãdoq. possint, opportuno loco positę.

De Lignis, & Baccis. Cad. XVI.

E Lignis odoratis, ac resinosis, nec non ex eorum baccis, elici oleum potest, ipsis non nihil contusis, aut minutim concisis, affuso vini albi modico, aut etiam aqua, aut ipsius decocto ligni, quod efficacius habetur, inde per noctem in cineribus calentibus, vitrea cucurbita, maneant; augeatur mane ignis, quo destillabit oleum. Hac ratione ex Guaiacano ligno aqua, & oleũ educitur: Aqua potui commoda, minus tamen diluto ac decocto efficax; oleũ. vlceribus malignis, doloribusq. probatur. Plerique guaiacum, aqua ardente, in qua sal tartari dissolutum fuerit, macerant tãdiu, dum colorem aqua contrahat; tũc enim ipsa in aliud vas transfusa, nouam adijciunt, & macerant, vt colorem contrahat, idq. repetunt, dum non amplius coloretur aqua; Has omnes aquas coniunctas simul destillatione excipiunt, & in fundo cucurbitæ remanet oleũ. E iunipero, eiusq. baccis simili modo educitur, ad eadẽ utile, & ad faciei vulnera, ac maculas, ex ipsis

que

q.fęcibus 15.diebus maceratis,aliqui ardentem aquam eliciunt. E corno arbore qui educitur, pari ratione, liquor, per se solus strumas discutit, si fieri poterit, vt discutiantur;sin minus,maturat,aperit, purgat, glutinatque nulla alterius medicamenti ope. Si pili barbæ,capitisque cani, eo liquore calido madescant,præsertim si adiungatur secunda aqua, qua vtuntur mulieres ad flauos reddendos capillos,eos tingit rubro colore in obscurū vergente, duratque color hic sex menses; segmentis pini latifoliæ vas impletum, aqua rosarum affusa, si vase duplici destillas,succus emanans oleosus,est odoratissimus, qui caphurae aqua vulgo dicitur. Quæ autem olea, vi ignis expressa, in subiectum vas descendunt, quod per descensum destillare appellant, facilius efficiuntur,sed,vti diximus, non sunt nostri instituti.

De Seminibus, & Corticibus. *Cap.* XVII.



SEMINA fœniculi,anisorum,atque huiusmodi,cucurbita curua locantur, ad eorumque libram adduntur aquæ fontis purissimæ vnc.3. & tepentis balnei calore macerantur,inde educitur oleum odoratum,quod stomacho roborando, flatibus discutiendis, orisque halitui commendando,plurimum præstat:Huius,sed anisorum præsertim,si guttæ aliquot cum ijs pharmacis misceantur, quæ ad coli dolores, pro deijcienda aluo, adhibemus, multum prosunt. Quod si loco aquæ in destillando vinum addideris, calidius oleum euadet, sed minus suaue, minusque odoratum.E semine lactucæ, & hyoscyami ita quoque oleum elicitur, sed aquæ fontis loco, adhibetur stillatitia rosarum.Prodest autem lactucæ oleum,potum ad duas, vel tres drachmas, cum iure aut vino, mane, sex aut septem diebus,gomorrheæ;hyoscyaminum idem facit,si eo inungantur renes,&, si mulier est,pessi modo subdatur. Pari ferè modo è corticibus odoratis oleum destillat: nam matula fictilis,vitro interius oblinita, impletur ad dimidium,aqua fontis stillatitia, inde cortex odoratus imponitur, rimisque optimè stipatis, igne vehementi, sic vt aqua bulliat, fumique in sublime tollantur,oleum educitur, nā aquæ quæ destillauerit, innatabit oleum album vt lac, dulceque & admodum odoratū, & nonnihil acre. Ita oleum è cinamomo habemus, cordi, cerebro, ac stomacho maximè salubre, halitumque oris commendat. Fieri etiam alia

via poteſt, vt ſacchari candi, & cinamomi æquas portiones accipiamus, teramuſque, & in recurua cucurbita breui ponamus, inde ipſis affundamus aquæ roſaceæ ſtillatitiæ vnc. 6. ſi ſacchari, & cinamomi cuiuſque libram acceperimus. macerentur per noctem, mane, moderato igne cinerum habebitur oleum triplex. Primum album eſt; ſecundum, colore flauum, ſapore acerbum, pars eſt ſacchari tenuior, cum aqua roſacea mixta; Tertiũ quod eſt rubrũ, acre, odore cinamomi, licet exiguo, partes igneæ ſunt ſacchari, & cinamomi. Sunt qui accipiant cinamomi optimi libram, eamque leuiter contuſam tribus libris vini Cretenſis odorati, totidemque libris aquæ roſaceę ſtillatitię macerant: addunt poſtea radices angelicæ, & dictamni albi, vino ablutas; & ſtipatis optimè rimis, aquam balneo Marię, vitreis organis eliciunt: Hãc aquam peſtilentiæ præcauendæ, aduerſus item venena, ac venenatorum ictus, & ſtomachi cruditates maximè laudant. Alij cinamomum in aqua boraginis, bugloſſæ, meliſſophylli, & centaurij minoris macerant, inde ſtillatitium liquorem extrahũnt, neque verò perſpicui liquores abijciendi ſunt, nam primum gradum obtinent. Quæ item è ſolo cinamomo, aqua roſacea, & vino cretico, macerato, manat tepente balneo, aqua, frigidis omnibus affectibus prodeſt, ſi ad duas, tresùe vncias, pro ætatis, temperamenti, ac morbi ratione exhibeatur. Stomachum, iecur, lienem, pulmonem, cor, cerebrum, neruoſq; roborat, viſum acuit, cordis affectibus opitulatur, venenis, venenatiſque ictibus, ac morſibus prodeſt, halitus gratiam commendat; menſtrua ac lotium educit; nauſeam ſedat, & ſi cum ſucco citri bibatur, faſtidientem ſtomachum iuuat: omnibus tandem morbis auxiliatur, vbi calefacere, reſerare, attenuare, digerere, roborare velimus, quemadmodum vir grauiſſimus Matthiolus, ſuis in Dioſcoridem luculentiſſimis Commentarijs teſtatur. Neque verò miretur quiſpiam, me, cinamomum inter cortices, nõ inter ligna, vt facit Matthiolus, recenſere, quando hac in re Amathi Luſitani opinionem ſequar, Garziæ ab horto, medici de re medica optime meriti, teſtimonio adductus, qui in Hiſtoria aromatum apud Indos naſcentium, ſcribit cannellam noſtram nihil aliud eſſe niſi ſecundum & interiorem corticem, arboris Darchin à Perſis vocati; tametſi Carolus Cluſius, in noſtra cannella inueniri interdũ fragmẽta afferat, quæ non videntur interior ille cortex, ſed oĩnò exterior, cinerea quodãmodo pellicula obductus.

De

De Gummis. Cap. *XVIII.*



VT è gummi, oleum eliciatur, accipito ad gummi librã, aquæ ardentis sescunciam, & in vitrea cucurbita macerentur sub fimo diebus quatuor aut quinque, inde lento igne, pileo cucurbitæ imposito, stillet oleum. Fieri etiam facilius posset cucurbita recurua. Alij ad libram gummi, addunt aquæ rosaceæ stillatitiæ lib. 2. inde lutatis optimè rimis, destillant; primò enim exit aqua, aucto mox igne, oleum, quod alio vase excipitur. Sunt qui oleum Tartari, cum aqua rosacea, pari pondere, miscent. Hacque ratione ladani, belzoini, seu benzuini, styracis & ceterorum huiusmodi olea eliciuntur. In styrace tamen calamito, non clauduntur vasorum rimæ, cum in destillando respiratione indigeat: Quandoque etiam plura simul commiscentur, & oleum optimè emanat, cuius hoc fuerit exemplum, quod accipit benzuini contusi vnc. 6. styracis calamiti vnciam, ladani vnc. sem. nucis myristicæ vnc. 2. moschi gr. 4. aquæ ardentis vnc. 2. fimo macerentur, & inde eliciatur, igne primum moderatissimo, mox auctiore, oleum, quod odoratiss. est, cerebrumque & cor, ac stomachum plurimum roborat, & ignauam excitat Venerem. Nec desunt qui gummi tuso, aquam ardentem addant, siue aquam mellis, acetumùe stillatitium, aut aquã communem sexies destillatam (in ijs enim omnibus vis inest tenuiores ac aereas rei partes extrahendi) sic ut quatuor digitis pulueres superet; Duobus diebus aquæ tepentis balneo macerant, inde aquam, inclinato vasis ore, excolant, aliamque superfundunt, id toties repetentes, dum aqua nullum amplius colorem contrahat. Omnes hæ aquæ coloratæ, simul commiscentur in vitrea matula, pileoq; rostrato imposito, eodem balneo destillat aqua, & in fundo vasis oleum remanet; quod si forte tenacius esset, quã velles, superfusa denuò illi aqua, quam extraxisti, destillet; euadet enim fluidum ceu oleum oliuarum. Cum gummi quouis, miscent alij sal tartari, ęquis portionibus, inde fimo aut balneo, ad tres dies, macerant, mox igne cinerum, vase recuruo oleum elicitur. His modis extractum oleum thuris, uulneribus conducit partium neruosarum, ac membranarum, ligamentorumque. Qđ uerò ex aloe, uulneribus capitis, & pectoris optimum est. ex succino (quod tamen non gummi esse, sed bituminis speciẽ, Geor-

gius Agricola, optimè, meo iudicio, contendit) doloribus cōlicis, atque vteri, ceterisque frigidis affectibus cōducit, est enim vt perspicuum, aureoque colore, ita calidissimum, & cum tetro odore sit, ad excitandos epilepticos & soporosos vtiliter adhibetur. Qui è sagapeno, & chalbano destillat, liquorem, cicatricem extenuare, vt vix appareat, si in vulnere ponatur, scribunt. Qui omnium simul oleum cuperet, curandis vulneribus aptissimum, idque cito, ea contundat, agitetque cum quarta parte ceræ virgineæ, retortaque parua cucurbita, igne cinerum destillet, mirificum enim oleum manabit ad omnia vlcera ferè ac vulnera. è myrrha quod elicitur oleum, opobalsami vices supplet in conficienda theriaca Andromachi Senioris; de quo interius dicemus.

De Resinis. *Cap.* XIX.


ESINAE, vt aliquod etiam gummi, difficilè aquā stillant, propterea quod vbi ignem sentiunt, maximè tument, & è vase egrediuntur. Itaque consiliū est, vt cum duabus partibus resinarum, & huiusmodi ceterorum, tertia misceatur fictilium vasorum optimè in puluerem redactorum, vel salis communis, qui eorum etiam vires nonnihil auget; aut cucurbita oleo interius illinatur; hinc enim fit, vt ascendere ipsa nequeant, præsertim si vasis in quo sunt, duæ partes inanes relinquantur. Primum autem exire consueuit aqua, admodum perspicua, inde non nihil colorata, tandem oleum nitidum, optimoq; colore. Vbi autem obscuriore colore egredi ceperit, seorsum accipiendum ac seruandum est; nam non ita celebre habetur, vt primum. Ad vitrum agglutinandum, nonnulli oleo terebinthinæ egregiè vtuntur. Oleum è mastile, quod neruis egregiè cōducit, ita paratur: Mastilā coquunt in vino, mox vbi diebus aliquot quieuerit, cucurbita lutata, pileo adhibito distillant. Aqua & oleum prodeunt, quæ balneo calentis aquæ separantur, mox oleum arena purum reddunt: ad Solem tandem apponūt ex vno in aliud vas trāsfundentes, dum clarescat. Roborat stomachum, coctionem iuuat, viscerum inflammationes mulcet.

De

De Auro, & Argento. Cap. XX.


LERIQVE scribunt, metalla credita fuisse ab antiquis venena; & Aristoteles 1. sect. probl. 43. ait Aes, argentum, ceteraq; generis eiusdem concoqui à calore animantis non posse, neque à ventribus resolui; quamobrem Antonius Musa Brasauolus, Gabriel Falloppius, Thomas Erastus, nouissimeque Andreas Baccius medici clarissimi, quæ de auro potabili traduntur, fabulas esse & impostorum nugas putant. Contrà tamen multi, eis, auroque præsertim, ita utuntur, in cordis potissimum affectibus, vt modo redigant in puluerē, modò igne candentia, sæpius extinguant aqua, aut vino, aut iure. Alij in iure cum pullis coquunt, vel in eorum ventre insuunt, vel in folia redacta, eodem modo adhibent; sunt & qui in ipsa pullorum carne, vbi maior est eius copia, in pectore, coxis, & sub alis inserant, & triginta sex horis tepente loco macerent; nonnulli cum electaris miscent, multisque præterea haud dissimilibus rationibus parant, quòd putent mirabiles vires aurum præ cęteris habere ad reficiendas, restituendas, ac conseruandas cordis, uniuersique corporis facultates, & animi mœrores pellēdos. Id Arabes, quibus multa, eademque præclara, non medicina tantum, sed hominum uita debet, tradiderunt, Auicennaque præsertim, qui & de argento scribens, asserit, cordis tremori eius elimatam scobem conferre, atque etiam fœtori oris, imò Dioscorid. lib. 6. capit. 7. aduersus aconiti uenenum, quod potissimum grauitatem pectori, & pręcordijs adfert, corpusque uniuersum intumescere facit, sic ut fiant ægri hydropicis similes, vinum probat, in quo aurum, ferrum, argentumùe candens restinguatur, potum, quod idem uetustissimus auctor Græcus Nicander, de aqua asserit; Plinius quoque aurum scribit infantibus applicari, ut minus noceant, quæ inferantur ueneficia. Quamobrem non modo cordi, sed visceribus omnibus prodesse, uel hinc conijcere possumus.

De metallorum autem temperamento, non una uidetur scriptorum sententia; nam non desunt, qui putent, aurum temperamento esse æquali, ac potius calidiusculo; quod Auicenna scribit lib. de med. corp. capit. 3. quamquam id frigidum, & siccum Galenus putet. 10. Meth. capit. 17. licet eo loco, nequaquam de

tem-

temperamento verba facere videatur, alioqui omnia, quæ ex terra sunt corpora, frigida, & sicca essent, cùm tamen pleraque calidissima esse pateat. Argentum frigidum; & humidum passim scribitur, Auicenna tamen exiccare illud affirmat, quod sumpsit forsan è Galeno, qui sentire idem, non de argento solùm, sed de auro, & ære videtur li. 3. in tertium Hippocratis de moribus vulg. comm. 2. Aes etiam calidum, & siccum putatur, vt Conciliator Diff. 151. innuit, & colligi potest ex ijs, quæ Albertus Magnus doctissimo suo de rebus metallicis lib. 3. cap. 5. & alibi, luculenter explicat; cui tamen non assentitur Aristoteles, qui nona Problematum sect. 10. vibices æneis cyathis tolli ob frigiditatem tradit: tametsi cum videant aliqui æs, modico sale, ac sulphure adiecto, tantum caliditatis contrahere, vt penè summa sit, & ope aceti tranfire in æruginem, facultatis ceruosæ, quę ex plumbo fit, dissimilimam, vt ait Galenus, vix fieri posse putant, quin natura sit calidiore, vt plumbum frigidiore, quod & Rasis lib. luminis luminum, si tamen fuit Rasis eius libri auctor, testari aperte videtur, præsertim cum argentum, aut ferrum exustum, cuius est densior substantia, huiusmodi non existat; facereque aliqua ex parte posit Probl. 6. sectio. 9. Aristotelis, ut adductum decimum Problema, non ea forsan secunda ferat suffragia, quæ putantur; licet palàm Galenus lib. 10. Meth. capit. 17. id frigidum & siccum asserat. Sed multa sunt, quæ exterius adhibita, contra faciunt, quàm vbi in corpus mittuntur. Lithargyrus exterius adhibitus, refrigerat, si Galeno credimus 5. de compos. med. per genera cap. 2. id scribenti, cum tamen affirmet. 4. de simpl. med. facult ca. 18. haud secus quàm lapis, ferrumùe ignitum, ventrem exulcerare, atque exurere, nempe cum interius sumitur. Aloes per os sumptum abradit, reseratque uenarum oscula, vti memoriæ tradidit Mesues, à Iacobo Syluio optimè defensus, sic ut qui pilulis ex aloe sæpe utuntur, td magnopere animaduertere debeāt; cum tamen exterius appositum, hæmorrhoidum abundantiam, & sanguinis eruptiones sistat. stibium astringere, meatus obstruere, refrigerare, sistereque sanguinem è cerebri membranis profluētem, prodidit Dioscorides, & Galenus confirmat, qui ad desiccantē vim, adstrictoriam habere adiunctam testatur; Id tamen facultatē deiectoriam sortitum fuisse præstantissimam posteritas reperit; qđ tamen insinuasse Dioscorides quoque videtur, cum scribat de elaterio, optimam esse suspiriosis purgationem: quòd si inquit,
in

in animo sit deiectionem moliri, adiecto salis duplo, & stibij qđ colorare sufficiat, ex aqua, erui magnitudine, catapotia dato; quæ addita sunt à Dioscoride, vt uis deiectoria augeatur: nam, ut ait Mesues, roboratur elaterij uis, addito fossitij salis momento. Non est igitur mirum, ut eò redeam unde diuerti, si quæ metalla foris imposita, refrigerare ac siccare uidentur, eorum aliquot interius assumpta aduersari uenenis, calorem innatum roborare, conseruareque humidum ingenitum, propria quadam vi, possint. Refrigerare uidetur extrinsecus adhibitum & tractatum, piper, at interius sumptum, calefacit; multaque huiusmodi alia uidemus, de quibus luculenter magnus Gal. libro 1. de med. simplic. fac. disputat.

Verùm ut ad auri, & metallorum uires reuertar, si quæ plūbeis, & æreis instrumentis eliciuntur stillatitię aquę, metallicum illud uirus ac quasi nidorem contrahunt; thermarum etiam aquę, multis morbis prosunt, ob uires a metallis, per quę transeunt contractas, & quæ per plūbeos canales defertur aqua, fugienda est, quod teste Galeno. 7. de compos. med. secundum loc. cap. 2. limus quidam ex plumbo in ea contineatur, quamobrem qui eius fæcem combibunt, fiunt dysenterici, quanto id efficacius poterit ipsa metalli substantia potabilis reddita? In Petri And. Matth. medici iudicio & doctrina clarissimi, epistolarum lib. 4. legimus de auro potabili, quod Andreas Glauuen, Germanus medicus, oleo salis, ui ignis maxima expresso, fecerat, ad multosq; morbos adhibitum mirū in modum profuisse testatur, cui & uidetur assentiri Matth. nouique ipse inter alios, sacerdotem è Monteueteri; quod est non incelebre Piceni, seu Vmbriæ oppidum, qui cum iuuenis, infirma admodū esset ualetudine, & assiduis penè morbis tentaretur, innumeris generibus remediorum expertis, auri cuiusdam potabilis vsu ita conualuit, vt septuagenarius, iuuenibus vix cederet, cumq;. Veneris desideria insurgerent, eius vsum intermittere coactus fuit: cum tamen acutis, quæque corroderent, aquis, id factum fuisset: quem quidem elaborandi huius auri modum, omnes iure ac meritò detestantur. Non est autem dubium, quin in puluerem redacta aurum, argētumque & interius sumpta multum possint, non quòd à calore vinci, & in nutrimētum verti possint; nam medicamentorum omnium propriū est, teste Galeno. 3. de temperamentis, vt à calore nostro non transmutentur; sed quod cum vi quadam à natura sibi indita, venenis aduer-

aduerſentur, & cor roborent, id eò melius efficient, quò propius cordi, & ſtomacho admouebuntur, nam & propius admotus magnes ferro, illud facilius trahit. Neq. abſurdum eſt multa in nos agere, tametſi à calore noſtro non ſolum non vincantur, ſed neq. etiam quicquam patiantur; ut ſatis conſtare arbitror ijs, qui ſint in Ariſtotelis, & Galeni libris verſati; quod & doctiſſimus Fernelius de abditis rerum cauſis ſcribens, & eruditiſſimus Fracaſtorius libro de ſympathia luculenter docent. Gabriel quoq. Fraſcatus medicus ætatis noſtrę clariſſimus, lib. 2. de aquis returbij doctiſſimè animaduertit. Iaſpis virens, ſolo adhęſu, ſtomachum iuuat, ventriſq. os, ſi Galeno credimus 9. de ſimp. med. facult. quod alij etiam de corallo tradunt. Ophites etiam ſuſpenſus, à vipera demorſus ſanitati reſtituit. Hieracites, & Indicus ꝓfluentem ex hæmorroidibus venis ſanguinē cohibent, noſtraq. ætate lapis ex Indijs occidentalibus affertur, quē brachio alligatū, renum dolores mulcere, & arenulas eijcere, ſtomacho ꝓdeſſe ſcribit Nicoloſus Monardes Hiſpalenſis medicus, lib. de materia medica, ex ipſis Indijs aduecta. Scribit etiam lib. 6. de ſimpl. med. facult.. Galenus, Pœniæ radicem collo pueris appēſam, comitialem morbum profligare: Quin etiam, inquit, ſi compluribus linis, & maximè marinæ purpuræ, collo viperæ iniectis, illis viperam præfoces, ea q. poſtea cuiuſpiam collo deuincias, mirificè profuerit, tum tonſillis, tum omnibus ijs quæ in collo expullulant. Tradunt rerum Iudicarū ſcriptores, in quibus eſt Ioan Petrus Maffeius, vir grauiſſimus, lib. 5. Ad ſincapuranum fretū, in barbarorū nauibus, quas Luſitani haud leui certamine expugnauerant, fuiſſe Naodabegutam Malacenſem, qui multis demū cōfoſſus ictibus, ita corruerit, vt e patulis vulneribus nihil omnino cruoris manaret. Mox inter ſpoliandū corpus, ut primū detracta eius brachio eſt aurea armilla (mirum dictu) tanquā vaſe confracto, ita ſeſe cū anima, vniuerſum repente ſanguinem effudiſſe. Cuius rei ſtupore defixi Luſitani, cum de captiuis cauſā quæſiuiſſent, cognouere incluſum eſſe in armilla os animalis cuiuſdam ſionij (cabim incolam appellant) cuius in ſiſtendo ſangine virtus efficaciſsima ſit. Idipſum os deinde cū in Luſitaniam deuehendum eſſet, vna cum pretioſis alijs rebus naufragio perijt. Coquunturne hæc à calore naturali, cum intus non ſumātur? minime quidem, ſed efficitur, quod ait Galenus, nempè aut partes quaſpiam a radice defluentes, ac proinde per inſpiratio-

nem

nem attractas, ita affectos locos curare, aut aerē à radice assiduè mutari, & alterari. Cur autem hic lapis, tacto vulnere vnde sanguis prorumpit, cursum eius reprimat, haud nouimus, inquit eodem 9. de simpl. med. facult. Galenus, qui primo de sem. capit. 16. de his quæ in corpus assumuntur, sicut inquit, minima portio veneni per totum corpus diffunditur, ipsum inficiens, ita & alexipharmaca faciunt; non quòd substantia ipsorum per totum penetret corpus, sed qualitatis diffusione, qualis, & extra nos à solis fulgore in ambientem aerem, & in nobis tum à corde in arterias, tum à cerebro in neruos fieri conspicitur. Quæ Galeni verba occasionem fortasse Fracastorio dederunt, vt, vir doctissimus, antipathiæ, sympathięque causas subtilissimè indagauerit. Quemadmodum etiam animalium quædam odorem cibi sentiunt longissimè, non quòd per halitum fiat odoratus, vt propè contingit, sed quia, vt Auerroes in 2. de anima. 97. docet, medium spiritualiter immutetur, cur id ab auro, & argento, in tuendo ac roborando corde, venenisque pellendis fieri non poterit, etiam si nihil ab eis detrahatur, nihil agat in ea calor? quid autem si aget, si coquet, si superabit? Neque etiam iuerim inficias, quin calor naturalis interius aliquid posśit: nam ignita huiusmodi metalla, si in aqua aut iure extincta, quandam inducere in eos liquores qualitatem, experientia nos ipsa docet, cur non in humoribus nostri corporis, actione caloris, aliquid faciant? cum præsertim uideamus calorem innatum, non unius esse rationis in omnibus speciebus. Facit in columbis, quod non in struthiocamelis; In struthiocamelis ferrum coquit, quod non in coturnicibus, quæ tamen veratrum, ceu sturni cicutam, optimè in alimentum uertunt, ut secundo de aliment. facultat. & alibi, Galenus affirmat. Satisque compertum est, anates, quæ in paludibus, & stagnis uiuunt, bufones aquaticos deuorare, & iisdem nutriri, ut ciconiæ uenenosis, & mortiferis serpentibus, & gallinæ interdum scorpionibus, serpentibus, araneis, & huiusmodi animalibus, quæ cùm non possit calor humanus vincere, superatur, ut quasi uenenum fiant, uniuersaque corporis nostri membra in venenatam naturam uertantur, id docente non solum Galeno, libro tertio, de simplic. medicament. facultat. sed Conciliatore, libro quem de uenenis edidit. Stella quoque piscis marinus, cochleas integras deuorat, & comminuit; refert enim Rondeletius, dissecuisse unam

apud Magalonam, in cuius uentre quinq; cochleas inuenit, tres integras, duas iam cum testis suis confectas, nec tamen pede maior erat. Plinius etiam auctor est, si auro liquescenti gallinarum membra misceantur, consumi; & tamen earum nos carne vesci & nutriri poterimus. Ad hæc Auer. 5. colliget cap. 24. asserit, aurum si struthionibus esui præbeatur, statimque è stomacho extrahatur, diminutum admodum reperiri, cum tamē ab igne difficilè patiatur. Id autem dici non potest fieri, quòd sit validior struthionis caliditas, ea quæ in igne est, verum ab ipsa *caliditatis* natura, & tota calidi substantia. Nam gallinarum membra non solum auro liquescenti mixta, illud consumunt, sed in gallorum viuentium aluum demissum argentum concoquitur, quod apposité declarauit etiam apud Aristophanem vespis Lysistratus iudex, qui cum die quodam integram accepisset drachmam, cuius dimidium Philocleoni seni, item iudici, præbere, mercedē diurnam, debuisset, veniūt illi in macellum, ibi inter pisces, Lysistratus, squammas tres cephalorum pro obolis tribus argenteis collegæ tradit: ille cum propter matutinas tenebras non satis dispiceret, putauit se obolos accepisse: at statim odore dolum sensit, Verùm deceptor in deceptum culpam reiecit, quasi ipse dolum machinaretur, qui argentum deuorasset, & squammas pro argento accepisse mentiretur: quamobrem illum notauit, tanquā Galli ventrem haberet, qui posset argentum concoquere. Ἀλεκτρυόνος μ'ἔφασκε κοιλίαν ἔχειν, ταχὺ γοῦν καθέψεις τ'ἀργύριον. Quamobrem id quod diximus, satis patet, calorem innatum, non vnius rationis in omnibus speciebus esse, posseque fieri uti aurum, quod igne non absumitur, neque elixatur, naturali tamen hominum caliditati cedat, præsertim in tenuissimas partes dissolutum, ut in auro potabili facto uidemus.

Summa autem ope niti decet, ut in elaborando potabili hoc auro, aut argento, optimè ipsa dissoluantur, ne illorum substantia corrumpatur, neue sit tantum superficie tenus dissolutio, quasique eliquatio; quod aquis solet acutis potissimum contingere; præterquam quòd imminet quandoque periculum, ne stomachus auro oblinatur, uisque appetitrix, aut concoctrix intereat. Multa in hoc genere Philippus Vlstadius, ex uariorum auctorum lectione, atque item alij tradiderunt; sed plurimum semper præstare mihi uisus est methodus, quam inferius, exemplo adiecto, describam; huius enim ope, aurū, nullo adhibito, quod

naturæ

naturæ humanæ aduersetur, adeo tenue redditur, ac liquabile, vt in capillares facilè uenas permeare possit. Nihil autem ualentius puto ad diuturnam incolumemque uitam seruandam, iusto horum metallorum usu, quod substantia sint nequaquã facile corruptibili, & quę plurimum duret; quo nomine Romani Tiberis aquam, quæ diu seruatur, ad producendam uitam; si alijs nocumentis careret, quibus eam liberare medicus doctissimus, clarissimusque Alexander Petronius, & Andreas Baccius, medicus item ingenio, & eruditione præstans contendunt; maximè facere plerisque uisum est: quemadmodum etiam Hippocrates dicebat sexto de morbis uulg. Imbecilliora cibaria breuem uitam habere: non enim solum imbecilla ea intellexerim, quæ parum alimenti corpori exhibent, ut comment. 5. tex. 21. Galenus accipit; sed etiam quæ nequaquam solidum, & minime durabile; licet alioqui plurimi alimenti cibus essent. Hunc autem auri potabilis faciendi modum, si nouissent ueteres, forsan non scripsissent metalla esse uenena, & concoqui à calore animantis non posse, neque putasset Sauonarola, auro potabili, aquam ardentem pręstare ob eam caussam, quòd magis familiaris sit humanæ naturę, eiusque calori, cum ex uino eliciatur, quod est corporis nostri alimentum, cuiusmodi non est aurum: nam auro uires sunt maiores, quàm uino, ad roborandum, cor ceteraque egregiè facienda, de quibus Auicenna scribit. Potabilis autem auri faciendi modus hic unus fuerit.

Emelle, cucurbita uitrea, pileoque rostrato, aquam elicias, ut moris est, fæces uero in calcem redigas, mox in pulnerem; inde aquam ardentem optimam, acrioremque redditam solutis in ea fæcibus uini in sublime elatis, ut inferius docebo, affundas ipsi pulueri, sic ut quatuor digitorum spatio superet; positaque in tepentis aquæ balneo cucurbita, totum dissoluetur; quater aquã destilla, semper aquam denuo fæcibus, si in fundo remanserint, affundens; habebisque aquam optimam, quam cum aqua prima mellis coniunge & denuo destilles. In hac stillatitia aqua solues aurum in calcem cum hydrargiro adductum, ut dicemus, & cucurbitam locabis in tepente balneo, aut fimo, quatuor dierum spatio, inde eodem balnei calore bis destillet, totidemque uicibus igne cinerum uocato; nam cum aqua, destillabit aurum, qđ cogi amplius nullo ingenio naturali poterit; quod summũ hac in re quæritur; nam si aqua cinamomi, & endiuię stillatitia, cina-

momum ac endiuiam partes.s. illorum tenuiores secum deuehit;idemque cōtingit de ea in qua ferrum aut aurum sæpius fuerit extinctum,quæ destillata,postea nunquam fęces aliquas derelinquit,& tamen eorum metallorum uires retinet,cur id in auro fieri non poterit,hac arte ad maximam tenuitatem adducto?Fęces autem uini magno artificio in sublime tolluntur;ipsæ enim, siue aquæ etiam uitæ, sæpius destillantur, inde ignis adhibetur uehemens, ut quasi in calcē adducantur;illis superfunditur aqua ardēs,ut soluantur, atque id ter repetitur;Destillata deinde aqua vitæ, augetur ignis, & fæces ipsæ in sublime euolant ad collum cucurbitæ,albæ vt nix:è quibus parum ponas in aqua ardente,& & maiores vires acquirit,poteritque cum fęcibus mellis coniungi, & illæ dissoluentur; indeque accipiatur quod perfectius est. Sunt etiam, qui è tartaro salem hunc albissimum educant, dum tartarum in calcem redactum,aqua vitæ primæ destillationis soluunt,repetita sæpius destillatione,oleoque quod tandem in matulæ fundo remanserit, aquam ardentem superfundunt, ac ter destillant,sic ut purissima tantum pars accipiatur seorsum,quam deinde fæci ipsi, ac potius calci albissimæ paulatim combibendam infundunt, vt è siccata tandem fæce sal ad collum ac latera matulæ ascendat, vi ignis vehementioris. Sed de his tot dixisse satis sit. Aurum in calcem adducitur, malagmate ex ipsius folijs, & hydrargiro, conflato, diu agitando in vase ligneo, aut vitreo, modico mellis addito; mox vase vitreo, luto incrustato, ui ignis moderata, euolet hydrargiron, & in fundo remanebit calx auri. Hunc modum auri potabilis conficiendi, omnibus præstare crediderim, sed optimo artifice indiget, quique plura, quàm hic scripserimus, cognoscat,cum tamen omnia innuerimus.

Alij aurum in calcem redactum,uti docuimus, addito tamen sulphure,uti Ioannes è Rupescissa, Vlstadius & reliqui complures docent, in aqua ardente optima ponunt, & fimo, aut tepente balneo macerant per mensem; aiunt enim aurum descendere in fundum, uti butyrum: Tuncque destillatione aquam eliciunt,& aurum ipsum aqua cōi stillatitia quinquies abluunt. Mox illi imponunt aquam è melle stillatitiam,ea ratione paratam, quam docet c.22. Vlstadius,in balneoq; per mēsem denuo locant; huicq; addunt aquam è floribus,folijsq; ac radicib. borraginis,buglossæ,chelidonij,ac melissophylli stillatitiam,in qua

posita

posita fuerit, ligni aloes, Rhapontici, Ambari, Moschi, cuiusque drach. 1. s. omniaq. simul, quindecim dierum spatio, in balneo aut fimo tepente morari sinunt, postea inuicem separantur. Sed huiusmodi aurum multo inferius est eo, quod supra demonstrauimus.

Pari ferè gradu haberi potest illud; quod aceto stillatitio conficitur; ipsum autem acetum antequam destillet, bulliat dum eius medietas absumatur; postea bis terùe destillet, mox addatur euphorbij in puluerem redacti, octaua pars, ac iterum destilletur. In hoc aceto extinguunt calcem auri, igne reuerberatorio candentem, statimque vas, in quo acetum est, diligenter operculo contegunt, ne quid exhalet: Vbi autem refrixerit, acetum detrahunt, mox auri calcem candentem, denuo in eodem aceto extinguunt, idque toties repetunt, dum acetum optimè redditum sit ipso auro prægnans, tum nouum acetum accipiunt, in eoque candentem calcem auri extinguunt, donec eam auri partem solutam viderint, quam postulant. Acetum hoc omne in vnum collectum, ac perspicuum; si quid enim crassioris fœcis in fundum demittetur, nequaquã accipiendum est; tepente balneo destillant, & in fundo cucurbitæ remanet aurum, instar mellis: cui communem aquam stillatitiam affundunt, aut rorem destillatione exceptum, qui melior habetur, ea quantitate, vt totum aurum in ipso dissoluatur, quod nouerint, cum nihil petit fundum; tunc destillant aquam, balnei calore, & in fundo cucurbitę reliquus est, sal auri, qui in quocumq. liquore facile dissoluetur, æque ac sal communis: atq. eadem ratione ex omnibus metallis, ac vitro, fieri sal poterit, cuius est in medicina vsus. Quod si salem hunc in oleum conuertere velimus, ipsi denuò acetum suum affunditur, mox detrahitur destillatione; qua peracta, aqua communis stillatitia affunditur, mox detrahitur: Inde ad acetum reuertimur, mox ad aquam; hac ratione progredientes, nunc acetum alternis vicibus affundendo, ac destillatione detrahendo dum in fundo oleũ maneat, quod verè oleum sit: cuius fuerit signum, si argenteę lamellæ candenti impositum, non concrescat, ac potius fluat. nã si concreuerit, repetendum est aceti, & aquæ negocium: quod idem in argento atq. in cęteris metallis contingit. Aurum autẽ in calcem redigunt pleriq. huius rei artifices, sola aqua ardente, qua vbi folia auri maduerint, ignem admouent, idque repetunt,

dum

dum optimè calcem referat. Quod quidem cum nonnulli essent experti, adeo ut sexagies madefecerint, & incenderint, nihil effecerint: nimis.n. tenuis ardentis aquæ substantia est; quamobrem alij conati sunt folijs auri miscere Mastichen candidam, & Chiã, simulq. terere, & postquam aqua ardente optimè maduerint, incendere, sæpius id repetentes: hac.n. ratione subijci quodammodo crassior igni substantia videtur. Nonnulli cum saccharo candido terunt, parum aquæ mellis addentes; diuturna trituratione, tepentiq. aqua saccharum ac mel abluunt; inde exiccant postea aqua ardente madefaciunt ac accendunt. Quod verò ad oleum auri attinet, potest & alio ingenio haberi: nam in aqua ardente, quam acriorem efficacioremque reddiderit sal è fæcibus vini, seu aquæ vitæ in sublime elatus, dissoluitur aurum in calcem redactum, sic vt aqua videatur perspicua; hanc tepentis aquæ balneo, aut fimo per mensem coquunt, & circulo agunt, dum aurũ in fundum descẽderit perinde ac calx, quam, detracta aqua, fimo equino dissoluunt, mox ad ignem cogunt, inde fimo dissoluunt, id toties repetentes, dum non amplius cogatur, cuius non est dubium vires esse plurimas in tuenda valetudine, roborandoque corde, & aduersus venena, si recte adhibeatur, aiuntq. his qui elephantiasi laborant, plurimum prodesse.

Sunt & qui succum limonum perspicuum, cum melle ac sale miscentes, tamdiu feruere sinunt, dũ spuma omnis è melle abierit, idq. destillant, aucto ad extremum igne; Fœces, vitrariorum igne, aut huiusmodi fornacum, tribus diebus in calcem redigũt, mox conterunt, illisq. tertiam partem mannæ & sacchari candi addunt, superfusaque quam extraxerant aqua, & aquæ ardentis optimæ duplo, stipatis optimè rimis, moderato igne destillant, mox auctiore igne, quicquid elici potest detrahunt. Huius aquæ stillatitiæ partem, auro in calcem redacto, affundunt, mox destillant, denuo partem aliam aquæ superfundentes, & detrahentes, dum tota aqua destillatione excepta sit; quo tempore tota simul ipsi auro imponitur, maceraturq. tepente balneo ad viginti dies, mox destillatur, & in fundo liquor auri videbitur: Qui si forte crassior fuerit, aqua eadẽ denuò superfusa ac destillata, tenuior euadet, præsertim si id pluribus vicibus repetatur. Quod autem de auro dictum est, idem de argento dictum puta. Videndum est tamen, ne quod calidioribus aquis mixtum fuit, aut calidiorem naturam contraxit, id calidis morbis, calidioreq. temperamen-

to, &

to,& anni constitutione exhibeatur, qua in re prudentis medici cõsilio opus est. Atq. hæc de auro potabili dixisse sufficiat, quod si recte conficiatur, mirabiles vtilitates affert, vt Arnaldus Villanouanus, egregius sua ætate, medicus, testatur; nam tenuitate substantiæ solidas fibrarum partes altius penetrare potest, & per omnes expandi; sinceritate verò temperamenti, calorem innatũ excitare, ac tueri; densitate, ac tenacitate, humidum radicale ac primigenium solidius, & fortius reddere, ne cito absumatur. Cum enim longitudinis vitæ causa sit calor multus, idemq. temperatus, nec non & primigeniũ ipsum humidum, solidum, ac copiosum, nulla ratione ijs consuli melius potest, quã ipsis auri qualitatibus. Neque enim intelligo qua ratione Thomas Erastus, medicinę professor clarissimus, lib. 4. aduersus Paracelsum, scriptum reliquerit, aurum non esse humidum potestate, cũ id non modo omnibus repugnare videatur philosophis, Aristoteli prẹsertim. 4. meteororum; sed ipsæ quoque experientiæ, qua ui demus liquari aurum, & fluere, & ipsum sit temperamento humidum; scribit autem eo lib. Aristoteles. cap. 51. aurum. argentũ, ęs, stannum, & plumbum, aquæ esse, cũ liquescant calido; aqua autem non actu solum, sed potestate humida est. At inquit Erastus, nulla intercedit familiaritas, qua conueniant corpus humanum & aurum; tantum enim distat metallorum, prẹsertim auri, temperamẽtum, à nostrorum corporum temperamento, ut in hæc illa transire, uertiq. nulla ratione possint. Verùm hoc Erasti dictum esset probandum, nisi multa etiam talia videremus dissentientia, quæ tamen postea conueniunt. Quis inter struthionẽ camelum & ferrum, inter stellam piscem, & cochleas, inter gallinas, & serpentes conuenire quidquã putaret? res tamen ipsa secus probat; vti & de auro, cuius magna habemus experimenta; quamquam negligentia ac temeritas sycophantarum, qui cum omnia ferè ignorent ad omnia temerè manus admouent, multa contra accidere fecerit. Quid magis aduersum nostro stomacho quam chalcanthum? tamen quod iam diximus hęc ars maxime amicum illud reddit; plurimumq. conciliat sic ut illum roborat, atq. egregiè iuuet. Aurum temperamento, si quid aliud, humano simile est, uti supra diximus; eamq. ob caussam, caloreque suo ferè cęlesti, vires nostri corporis, vitalem potissimũ, earumq. sedes. nempe cor, cerebrum, iecur roborat, sanguinisq. ac spirituum substantiam puriorem, illustrioremq. reddit; qua de
re

re haud omninò iniuria, mihi dixisse uisus est clarissimus Marsilius Ficinus, si perspicuitatem haberet aurum, iam cæli substantiam fore. Neque verò putandum est, aurum huiusmodi præparationibus, ac destillationibus, non violentis illis, sed arte optimè factis, naturam ac virtutes amittere, quando herbæ ipsæ, ac flores, quæ multò debiliore substantia sunt, & facilè dissolubili, eam retinent, vti supra memorauimus. Quamobrem Guainerius, de pestilentia egregiè tractans, & stillatitiam quandam aquam describens, de qua inferius dicemus, cum ad aurum hoc potabile peruenisset, licèt, inquit, de auro potabili mihi videatur absurdum, vt ex dictis Auicennæ, & Alberti Magni in suis de mineralibus elici potest, cùm aurum sit materia ita perfectè cocta, sine quasi contrario mixta, vt vis ignis, absq. alio auxilio, nihil aut parum agere in eam possit; habui tamen à duobus chymistis fide dignis, quod ipsum facere procul dubio, absq salis ammoniaci, alteriusue erodentis, aut venenati mixtione norunt: imò cum quinta essentia aquę vitæ, ipsum, veluti ceram, fluere faciunt: Quod si fieri potest, cum hac aqua coniunctum, nihil dici efficacius potest. Hæc Guinerius.

De Ferro, & reliquis Metallis. Cap. XXI.

FERRVM multi in medicina vsus, quamobrem non iniuria thermarum aquę, ferrum, aut chalybem referētes, imò vinum, aquauè, in qua candens ferrum sit restinctum, potu, cœliacis, dysentericis, lienosis, cholera laborantibus, & dissolutis stomacho, teste Dioscoride, aūxiliatur; maximè autem viscerum, iecoris præsertim, calidius temperamentum remouet, dissolutam vim confirmat: neque profectò iniuriā, nam metallica ob densitatem substantiæ magis, altiusque imprimunt; & satis compertum est, ad lienem, laudatissimam esse aquam depuratam, quæ è cotibus defluit; cum acuuntur enses, aut thoracum ferreorū loricæ circumaguntur. Quamquam autem ferrum, teste Aristotele 4. Metheor. 39. difficile admodum liquescat, cū ipsius humidum nimia frigiditate coactū fuerit. sic vt omninò non liquabile videatur, fatetur tamen ipsemet Philosophorum princeps, ingenti igne liquari posse, propterea quod huiusmodi ignis dissoluat humidum, & crassiores

ac

ac siccas partes adurat; quamobrem quæ iuuare possunt ignem, vt separet terreas partes crassas, à tenui aqueo, ea cito liquare ferrum possunt, cuiusmodi sulphuris, & auripigmenti puluères ab Alberto Magno, maximo Philosopho, scribuntur. Affirmat autem Hieronymus Cardanus, multæ lectionis & eruditionis vir, libro de Varietate rerum. 10. cap. 50. vidisse se oleum & aquā ferri admodum ponderosa, oleum autem nigricare. Celeriter vtrunque defluit, aqua intra duas horas effluere incipit, oleum intra duodecim, si rectè peragas. Ferrum tamen aliqui, igne primum vitrariorum, viginti dierum spatio, in calcem redigūt. Soluunt aliqui eius elimatam scobem, aqua separationis, seu quā fortem appellant, è chalchanto potissimum educta, qua abstracta, calcem illam ferri, aqua communi toties abluunt, dum omnī prorsus acrimonia destituatur. Exiccatæ calci; quam etiam aliqui faciunt, solo adhibito sale; affundunt acetum stillatitium, & tepente balneo macerant, inde destillant; iterum affundunt, macerāt, destillant, idq. toties repetunt, dum ferrum in fundo instar olei resideat; ad vlcera manantia, & pleraque alia præstantissimum, & si rectè temperetur, multò quam ferrum ipsum, efficacius ad ea omnia, quæ à Dioscoride, Galeno, & Aetio de ferro scribuntur, præsertim languenti stomacho. Alij ferro in calcem redacto salis addunt, pro pondere destillandi ferri, partem duodecimam. Ammoniaco adhibito melius, & facilius plerique oleum eliciunt; sunt & qui acetum adiungant. Nonnulli acetum stillatitium, ferro impositum, vbi colorem omnem contraxit, denuò destillant, abijciuntq. acetum, quod primò purum ascendit, leuiore igne; quo aucto, humidior pars metalli, instar olei ascendit, remanentibus in fundo fœcibus; quod omnibus metallis, præter aurum, & argentum, hac ratione, plerique adhibēt. Sunt qui à ferro in crocum, ope stillatitij aceti, adducto, salem ammoniacum, nouem, decemùe vicibus, in sublime, vi ignis, tollunt: nam ferrum tunc in oleum abit, quod aqua stillatitia sæpius abluunt; chimicis magis, mea sententia, quàm Medicis in vsu, præterquam ad vlcera; quemadmodum & illud, quod elicitur è stanno in calcem redacto, & aqua, forti vocata, soluto, ea ratione vt lapilli gignantur; quos aceto stillatitio macerant in aquæ tepentis balneo, inde acetum destillant, aliudque superfundunt, mox macerant, inde detrahunt, dum in fundo maneat, ceu oleum; ad vulnera recentia, & vlcera cito sananda efficacissimū.

Idem in plumbi calce effici potest, sed acui acetum debet. Ceterum hæc omnia, vt extrinsecus adhibita à perito medico, iuuare possunt, ita interius præbere vix auderem, quod ab aquis acutis, & ignis vi, inimicam visceribus qualitatem, & admodum perniciosam adipiscantur. Quo nomine Theophrasti Paracelsi remedia complura, mihi admodum suspecta sunt; & plerique scribūt, Basileæ ad vnum omnes, licet initio præclarè adiuti viderentur, tamen intra anni spatium mortuos esse, quicunque chemica eius pharmaca ex metallicis confecta in corpus assumpserunt: Maiore forsan laude dignus, si medicis quibusdam remedijs a se, vt aiunt, inuentis, contentus, perniciosiora non quæsiuisset. Qui verò putant è metallis, sola infusione, vires elicere, ij mea sententia falluntur, & aduersus eos faciunt, quæ de metallis disputantur, non posse elixari, aut a calore nostro vinci; nam longe maiori opere, quàm infusio sit, attenuanda sunt prius, & ad dissolutionem paranda. Itaque semper parui feci eam aquam, quæ ad Trotulæ libellum, de mulierum affectionibus, adscribi solet, cuius Euonymus ex libro quodam Germanico meminit, qua aiūt medicum res effecturum admirabiles, & quasi vatem fore. Accipit autem scobem argenti, æris, ferri, plumbi, chalybis, auri, spumæ argenteæ, & aureæ, ac styracem; hęcque omnia primo die in vrina pueri infunduntur, altero die in vino albo calido; tertio, in succo fœniculi; quarto, in candido oui: quinto, in lacte mulieris, marem lactantis; sexto, in vino rubro; septimo, in septem candidis ouorum. Hosque omnes liquores simul deinde lento igne destillant: nihil enim hic video, quod superbos facere eos possit, qui huiusmodi remedio vtantur; melius faciunt, qui metalla in calcem redacta, aceto stillatitio, sale tartari, aut huiusmodi quopiam acriore reddito, macerant ac soluūt, inde acetum destillant. Verùm nisi sal tartari ita elaboratum sit, vt eodem igne cum aceto ascendat, vix quidquam conducibile, vt interius sumatur, fieri poterit. Alij tenuè elimatam chalybis scobem candentem; ad sex, vel octo vices aceto acerrimo extinguunt, inde ter ab ea salem ammoniacum in sublime tollunt, sic enim facile, vti supra memorauimus, in oleum chalybs abit. Nonnulli calcem ferri, seu rubiginem anchoræ, aceto stillatitio, quod quatuor digitis emineat, immergunt, & tepentis aquæ balneo macerant, dum acetum colorem contrahat, quo tunc detracto, aliud imponunt, mox vbi coloratum fuerit, detra-

trahunt, idque repetunt, dum acetum non amplius rubescat. Hoc acetum destillant, terreaeq. materiae, quae in fundo remansit, optimè tritae, tantum aquae communis stillatitiae affundunt, vt emineat, optimeque mixta, duobus diebus macerantur, inde filtro percolantur; quodque percolatum est, in vase reponitur, dum in salem degeneret: quem diligenter tritum, cucurbita vitrea incurua, luto incrustata, vi validi ignis destillant, nam oleũ admodum rubrum educetur, difficillimis iecoris, & lienis infarctibus laudatissimum, purgato prius corpore, & tenuata humorum crassitie; sed non nisi parce admodum, ac à peritissimo medico, qui corrigere medicamentum nouerit, exhibendum; vt enim maximè prodesse possunt rectè parata, ita si intempestiue, & non castigata praebeantur, infinitum in modum obesse; Haec autem, qui cum superioribus coniunxerit, facilè vniuersam dissoluendorum metallorum rationem, quantum ad vsum medicum spectare potest, cognoscet; quorum exhibẽdorum modus, vt & stibij & praecipitati, de quo mox dicemus, ex Dioscoridis methodo lib. v. originem duxit.

De Argento uiuo. Cap. XXII.

Nihil ferè est, quod maiora à chymistis tormenta passum sit, hoc argento viuo, quod Graeci ὑδράργυρον vocant, quasi argentum aqueum, ac fluens; chymistae verò mercurium; tametsi videatur Plinius argentum viuum appellare, quod sponte nascitur; hydrargiron verò, quod ex minio factum, argenti viui vices implet. Neque tamen in his frustra tormentis subiectum fuit, quando magnus inde ad rem medicam, morbosque difficiles pellendos vsus manauit. Primum autem quod ex eo conficitur, puluis est, angelicus à Nicolao Massa Veneto, medico clariss. appellatus, vulgo praecipitatum appellant; exiccat. n. corroditq. nullo dolore mollem carnẽ, ac superfluã, & occultã remouet ex vlcerib. qualitatẽ, quae malignũ ac quasi venenatũ quiddã sapit. ad haec sistit vlcera ne serpãt, ic cancrenis aptissimus; in tophaceis quoque tumoribus, vbi aperti sunt, durum, ac crudum, crassumq. pus dissoluit; sic vt vix par inueniri remediũ possit. quo si toto curationis cursu vtare, ad cicatricẽ vlcus

adducit, quẽadmodũ se sæpius expertũ asserit Nicolaus Massa; præsertim verò in vlceribus virgæ, in quibus omnia superare remedia cõpertũ est. Eligatur argentũ viuũ purũ, albicans, splẽdens optimè plũbo, vnde etiam elicitur, depuratũ. Huius accipe librã cui in cucurbita parua vitrea supfundas aquæ, qua ab argento se paratur aurũ; separationis seu partitionis vocãt, librã; cucurbitã in olla collocabis, cineribus inter cucurbitã, & ollæ parietẽ positis. Igne deĩde primũ leui, mox auctiore, nequaquã tamen vehemẽtissimo; tota absumatur aqua; cuius rei signũ fuerit, cũ nihil fumi exit è cucurbita: in fundo mercurius in calcem ac potius puluerẽ rubrum redactus videbitur; Quod si puluis nõ fuerit, tere ipsam calcem, & si quid viui argenti adhuc commixtum reperies, æneo vase ad ignem admoueto, miscetoque dum quicquid in calcem redactũ non est, euolet. Atq. hic puluis ille fuerit, de quo diximus, quique olim magno arcano, & magno certè vsu habebatur, in ijs vlceribus de quibus meminimus, vbi pus, putredoq. ob malignam qualitatẽ impedimento sunt, ne vlcus sanescat. In callosis etiam sinibus, & fistulis vocatis, vnno eliquatus, atq. etiam; iuxta Ioannam de Vigo, lixiuio, & iniectus, optimè cõducit. Aquã aũt separationis eliciũt ex chalchanti Rom. lib. 2. aluminis rupei, seu rochæ vnc. 16. salis nitri libra. vitrea cucurbita retorta, luto optimè incrustata, his omnibus conclusis, adhibitoq. igne primũ modico, mox auctiore, eo potissimũ tempore, quo croceẽ vasis facies videbitur. Sunt qui cum hanc aquam acriorem postulant, aluminis, salnitri, & chalcanthi quãtitatem æquent. Sunt & qui in recipiente vase, aquæ fontis purissimæ duas vncias, in singulas libras ipsarum rerum ponant. Alij salnitrũ non apponunt; & cum nolunt hunc puluerem conficere, in libram huius aquæ, mercurij vnc. quatuor immergũt. Hæc autem aqua separationis, magno ipsa quoq. vsu in medicina adhibetur: nam verrucis tollendis optima est, in ano præsertim, ac muliebri pudendo. efficax quoq. cauterium in vlceribus malignis, custosisq. & prohibet ne serpant, in ore potissimũ ac gutture; summoperè tamen cauendũt ne deglutiatur, & cum rosacea stillatitia miscenda; tantumq. bis die tangendus est locus: quod & in vlceribus virgæ, ac pudendorum seruandum est. Quamuis autem Ioannes de Vigo Genuensis, chyrurgus Iulij II. Pont. max. clarissimus, hunc angelicum, de quo diximus, puluerem, vt suum inuentum, doceat, rubrumq. appellet, & secretũ secre-

secretorum inter medicamenta corrodentia uocet, nihil tamen hac in re ei se debere Massa scribit, cum antea quàm Ioãnes ederet librum suum, ipse hunc conficeret puluerem, ita edoctus à sene Chemico, qui multa egregia experimento didicerat, ipsumq; Massam plura alia docuerat. Non desunt etiam aliqui longè audaciores, qui luem Veneream inueteratam, hoc puluere pręcipitato per os exhibito, sanare tentant, & ut ęgros decipiant, inficere ipsum aut carbonum puluere, aut medicamento quodam cui angelico nomen est, consuescunt: quę catapotia exhibita, catapotiorum enim forma exhibent, molestissimè aluum soluũt, atque etiam uomitum magna perturbatione cient; cognoscitur autem ex hoc puluere esse catapotia composita, si frustulum auri, aut argenti fricueris; adhæret enim illi, & rubro colore tingit; coacti tamen plerique sunt has molestias mitiores reddere, aut omnino auferre, abluentes puluerem hunc aqua ardente optima, ter, quaterùe; & qualibet vice ignem admouentes, vt ardeat; inde macerantes quatuor dierum spatio, aquis cordi conferentibus; prioribus percolatis, alias aquas affundẽtes, idque ter aut quater: Huiusque ita parati pulueris ad grana quinque præbent, mixta cum speciebus Diamoschi dulcis, & Diarhodonis Abbatis, & Theriaca magna Andromachi: Datur doloribus coli affectis, & quartanis febribus; ac melancholicis optimo successu, si opportunè exhibeatur, admistis etiam, si ita res ferre videbitur, margaritis, & alijs, quę stomacho & cordi opitulantur. Huncque præcipitatum puluerem, vti, & argentum viuum, Antonius Musa Brasauolus, P. An. Matthiolus, & Gabriel Falloppius medici clarissimi multis se exhibuisse scribunt. Alij eum conficiunt ex mercurio, prius aceto ac sale diligenter abluto, & cum auri purissimi sexta parte mixto, sic ut malagma fiat, cui tantũ aquæ imponunt, vt aurum eliquet, inde vti supra diximus, præcipitatum puluerem elaborant, & abluunt. Quod vero colicis, & quartanarijs præbetur, diuturno labore nonnulli conficiunt, id abradentes; quod vi ignis ascendit. Alij sic parant. Argenti sublimati vnc. sex optimè terunt, inde cum pasta triticea fermentata miscent, ac subigunt, digitis butyro inunctis, ne erodantur: Catapotia formant, è quibus in cucurbita vitrea positis, igne valido, elicitur aqua, in cuius vncijs sex, semuncia auri purissimi infunditur, in cucurbitula vitrea, luto incrustata; vbi incipit aqua incalescere, abraditur aurum, & tela quædam, aranearum instar, natat, quæ

cochleari


cochleari ligneo vel corneo colligitur, totiesque id repetunt, dum tota aqua absumatur. Has telas simul collectas, in eadem cucurbitula ad prunas candentes adhibent, dum rubescant; mox aqua ardente macerant, & exiccant; idemque ter, aut bis efficitur aqua rosacea stillatitia. Huius pulueris granum vnum aut alterũ, cum myrrha, mastiche, ammoniaco, & huiusmodi ,, miscent, catapotiumque efformant, quod per os exhibitum, purgato prius corpore, longè tutius quam superiora videtur. Parant alij præcipitatum hunc puluerem album, oleo sulphuris, quam aquam appellamus, cum argento viuo æquis portionibus mixto; nam viginti quatuor horis in cucurbita simul macerant, igne deinde admoto, tota humiditas absumitur, dum albescat. alij oleum sulphuris destillant, quod multò acrius redditur, quam prius fuisset; Hoc præcipitato puluere vtimur tantum exterius, ad ulcera con tumacia; egregiè enim carnem putridam corrodit, sed maiore dolore. Sunt qui mercurium stanno cogant, inde in scutella aurea, quæ innatet in aceto optimo, impositum, aqua ardente obruunt, postea admota flamma accendunt; id toties repetentes, dum omnia in oleagineam substantiam abeant. Granum huius exhibent cum generoso vino, ut sudorem proliciat, contecto multis stragulis corpore. Alij cogunt mercurium, non quidẽ stanno, sed aqua ex ouorum candidis, & eorum testis in calcem redactis, stillatitia: quemadmodum, & alij puluerem pręcipitatum ter igniunt, & aceto acerrimo extinguunt. Plerique etiam oleũ mercurij, vlceribus optimum, conficiũt, ipso posito in vase recipiente, vt in eum aqua è salnitro, & alumine rupeo usto, ui ignis, stillatim cadat; idque bis repetunt; quæ autem prima vice in eum aqua cecidit, elicitur, ac per horam, in uase optimè contecto, reuerberatorio igne exiccatur; inde rursus in recipiente uase ponitur, ut in eum denuo aqua cadat. Quidam mercuriũ, una cum chalcantho ac sale communi in sublime elatum, aqua dissoluunt è chalcantho & salnitro stillatitia, mox destillant; nam primo exit ipsa aqua, deinde albedo Mercurij, cuius fæces in fundo vstæ videbuntur. Hanc destillationem repetunt, dum nihil fæcum remaneat: Cancro id ac sinuosis ulceribus conducere plurimum affirmant. De argento uiuo in aquam vertendo supra diximus.

De Stibio. Cap. XXIII.


TIBIVM, quod vulgo Antimonium vocant vim habere deiectoriam, etiam veteres nouisse videntur, licet multi contrà putent. Nam, vti supra memorauimus, Dioscorides capite de cucumere Syluestri lib. 4. ita de elaterio scribit. Bilem ac pituitam vtrauis parte exrrahit; optima suspiriosis est purgatio. Quod si in animo sit deiectionem moliri, adiecto salis duplo, & stibij quod colorare sufficiat, ex aqua, erui magnitudine, catapotia dato. Non desunt, qui huius vsum in vacuando improbent, sed si ratione fiat ac tempestiuè, & in morbis, qui, ut materia fixa, tenaxque detrahatur valentes vacuantium medicamentorum vires postulant, cur adeò improbetur, planè nescio, eius laudes satis egregiè Petrus Andreas Matthiolus, luculentissimis suis in Dioscoridem commentarijs, scripsit, quamobrem non est, vt nos meliora, aut maiora addere frustra conemur; præsertim cum nemo non in medicina exercitatus, admirabiles, si tempestiuè sit datum, effectus potuerit percepisse. Neque mea sententia, licet plumbo sit proximum, sic vt facile in illud degeneret, timendum est, quod de plumbo diximus in aquis stillatitijs, cum in corpus stibium non ita digeratur, & excoctum sit vehementi ignis vi, & admodum pauca quantitate sumatur. Nam cętera quæ dici possunt, de modo deijciendi, quia scilicet aduersetur naturæ corporis, & uiolenter agat, & huiusmodi, dici etiam possent in elaterium, scammonium, colocynthim lapidem armenum, turpetum, & similia, quæ cum cordi, iecori, & ventriculo totius proprietate substantiæ noceant, eorum tamen in officinis frequens vsus nunc est, & frequentior apud ueteres fuit, neque tamen reijciuntur, aut damnantur, immo inter cordi opportuna medicamenta ab Auicenna recensentur: nam si corrigi hæc dicunt, idem etiam stibio multis pręparationibus contingit; illisque stibium pręstat, quòd cum, teste Aristotele primo, sect. Problem. 43. acerbitas, acor, malusque odor medicamenta comitentur, quæ aluum soluunt, eo quod genus medicamentorum, cibo contrarium est, id tamen stibio non accidit, quod omnis est penitus saporis expers. Et si Dioscorides libro quinto, capitulo 49. squammam æris præbet, ut pota ex aqua mulsa, aquam trahat, & quosdam

dam ait,quos non reprehendit, eam farina subactam dare in catapotio, quanto id libentius concessisset stibio tot modis purgato ac correcto? Itaque stibij optimè parati abusus potius, quam vsus poterit improbari, cum plerique reperiantur Empirici, imò longè empiricis peiores, qui passim nulla habita ratione, & incipientibus morbis, crudisque & optima valetudine præditis illud exhibeant. Quod verò ad eius parãdi rationem attinet, sunt quidam qui è stibio aquam eliciunt; quintam ab ipsis vocatam essentiam; cuius uires admodum mirabiles prædicant, arcanumq; arcanorum appellant. Sic autem scribunt. In puluerem tenuissimum redigas stibium, vt è minera detractum est, ponasque in aceto destillatione excepto, dum acetum, moderatis prunis candentibus appositum, colorem contrahat; tum enim detrahitur acetum, nouumque reponitur, hoc repetens, donec nullus amplius color inde contrahatur. Vniuersum hoc coloratum acetum, vitreis uasibus destillet; in fine per rostrum vitrei alembici, videbis quasi mille venulas descendere, guttis, sanguinis instar, rubentibus: Hanc aquam parem habere in rebus naturalibus negant, superareque aiunt mellis dulcedinem longo interuallo, & tandem mirabiliter extollunt; asseruntque omnium vulnerum dolorem auferre, eaque sanare: quadraginta autem diebus fimo obrutam, vasi vitreo diligentissime clauso, macerant, ac vt ipsorum uerbo vtar, putrefaciunt; tuncque maximarum rerum auctor habetur. Sed vel isti falsa scribunt, vel acetum stillatitium ammoniaco sale, aut huiusmodi alijs acrius reddere necesse est, aut stibium parare, in calcemque reducere, alioqui nihil acetum stillatitium efficiet; neque etiam hac ratione ascendet stibium, sed tantum acetum, calx autem stibij in fundo manebit, quæ loco humenti posita, in oleum abibit. Quam verò parandi stibij rationem, vt aluum soluat, doctissimus Matthiolus suis in Dioscoridem commentarijs adscribit, consulto prætereo, quòd satis nota sit, & nostri instituti excedat limites; illud tamen non inuoluam silentio, esse quosdam, qui, vbi in calcem stibium optimè redactum est, sic ut fumum non emittat, salem fossitium, & ammoniacum addant, cum Matthyolus chrysocolla factitia utatur: quamquã melius, mea sententia, fieret, si stibium crudum non apponeretur. Alij ut laborem assiduè uersandi fugerent, uas fictile extruunt, ea forma cuius est uas B. in cuius summo latere foramen C. apponunt. Hoc autem uas, stibij crudi in puluerem redacti, semiplenum,

num, locant transuersim summo furno, quemadmodum conspici potest in figura subscripta A. B. C. D. vasculum deinde E. forma cyathi, vitreum, alteriusue materiæ ad os vasis B. adhibent, rimis optimè stipatis, ne quid fumi exire inde possit, quemadmodum ad eiusdem B. vasis fundum aliud est canale, oblongum, fictile, ea figura, cuius est F. in medio enim latior conspicitur. hoc desinit in vas G. quod magnum est, & fictile, ad eorum in-



star, quas vulgo Vettinas appellamus, seruandis è flumine aquis, ad assiduum vsum, aptissimas. Igitur ignis adhibetur è lignis aut carbonibus in ipso furno, per ostium A. in vas autem E. assiduè follibus insufflamus: nam id stibij, quod in calcem versum est, protruditur in vas G. colore albissimo; fumus autem per foramen C. exit: quapropter sub dio fieri hæc debent, aut sub lato infumibulo. Eo stibio, ita vti primo sit, albissimo, uti possumus, sed melius fuerit, si eliquetur, & in lamellas, quæ modò chrisopario, modò granatos referunt, concrescat. Idem, alij, tribus ollis fictilibus; quarum vnius fundus perforatus in alterius ore collocetur, peragunt, ferreo stylo, assiduè stibium, quod in postrema olla inferius est, in puluerem redactum, agitantes: ascendit enim album. Sunt etiam qui ad vnc. 4. salis tartari, repetita dissolutione, & exiccatione, omni acriore vi maligna, si qua fuit, priuati, addunt stibij vnc. sem. aqua dissoluentes, quæ vbi refrixit, rubescit, & cogi aiunt. huic modicum aceti stillatitij affunditur, vt quod acrius est, in fundũ secernatur, effunditur autẽ liquor iste, affunditurque aqua dulcis stillatitia tepida, sæpius, dum nulla amplius acrimouia gustu percipiatur. Tunc exie-

guinis modica copia, atque id cum aqua ardente. Vbi enim argentum sublimatum ingreditur, aut parcè admodum, aut nulla ratione, nisi mixtum, castigatumque optime, per os exhibendum est: ego autem libentius abstinerem. Addunt alij salis fossitij, seu gemmæ praeparati, æris vsti cuiusque vnc. 2. salis ammoniaci, mercurij crudi, singulorum unciam; quique liquor ante alios manat, ad sistendum sanguinem è venis fluentem, & carnem vlceribus supercrescentem erodendam, aliaque huius generis multa optimus scribitur. Nec desunt, qui mercurium sublimatum, repetita septem aut octo vicibus sublimatione, ante puriorem reddant; ipsumque stibium, tartaro ac salnitro additis, ui ignis è faecibus eximant, regulumque uocatum, tantùm sumant: quem regulum alij, aqua separationis, in quam sal ammoniacus iniectus fuerit, irrigant, sex vicibus, totidemque desiccant, & eadem tandem aqua dissoluunt, quam deinde commiscent cum alia eiusdem generis aqua, in qua fuerint auri folia dissoluta; postea vitrea cucurbita recurua, optimè luto incrustata, sexies, septiesue destillant, qualibet vice, quod destillauit, quodque in sublime vasis euolauit, ad suas iterum fæces affundentes. Postrema destillatione, quod in fundo mansorit, eximitur, figulinoque vase super prunas accensas, ferreo stilo, perpetuo agitando, ac versando, incalescit, dum rubrum colorem concipiat, uniuersunque aquae separationis uirus abeat: abluitur deinde diligenter calente aqua dum omnem prorsus salsedinem exuat, affusaque mox optima aqua ardente, sic ut quatuor digitis emineat, uase clauso, cineribus calidis, maceratur ad sex dies, ter quolibet die agitando: destillat inde aqua ardens, calentis aquae balneo, exiccatæque ac tritae materiei, aqua rosacea stillatitia, moscho imbuta, affunditur, idemque seruatur, quod in aqua ardente dictum est. Huius pulueris ad tria, quatuor atque etiam quinque grana, ut morbi, uirium, ac temperamenti ratio postulauerit, exhiberi potest, additis aquis, quæ morbo conducant, & cordi conferant. Sunt & qui in portione eiusdem aquæ separationis, argentum uiuum, optimè purgatum, dissoluant, & cum duobus, de quibus diximus, aquis Reguli, & auri, misceant, caeteraque uti dictum est, efficiant; verùm prudens medicus addet detrahetue, ut opportunum magis uidebitur, nequequã prĉterita mercurij,

P 2 stibij,

stibij, & aquæ separationis natura, humanæ aduersa. Nonnulli ex libra stibij & selibra tartari albi crudi, vbi macerata fuerint aceto stillatitio, acerrimo facto, oleum eliciunt; ad multa commodum, psoræ præsertim, & lepræ.

De Sulphure. *Cap.* XXIIII.



SVLPHVR aquam & oleum præbet; aquam, à Iacobo Syluio, oleum, vulgari appellatione, dictam, passim omnes ferè parant, sulphur ipsum igne incendentes, locato superius uase uitreo aut uitro oblinito, ad ęris campani formam, quo uaso colligitur sulphureus vapor crassus, qui primò crustam circa uas ipsum gignit, mox in aquam cogitur, quæ in uas subiectum, planum, & satis amplum; in cuius medio, sulphur, uasculo locatum, uritur; destillat. Sunt & qui rostrum ipsi uasi superiori addant. Hoc autem oleo, ac potius aqua, utimur egregiè ad dentes cum dolent, præsertim ubi foramen habent, in quo putrescunt humores, & quæ extrinsecus accidunt; exiccat enim hæc aqua egregiè; cõfert etiam ulceribus pulmonis; cum minus lædere uideatur, ac potius magis iuuare, quam oleum Chalcanthi, quod acerbi nonnihil habet. Itaque tabidis, qui pulmonis laborant ulcere, ad guttas decem, cum zulapij uiolacei unc. 2. aut alterius poculentæ rei, quę pectori amica sit, frigidiore cęlo præbetur, admirabili successu; quod & pleriq; uetustiores tradiderunt, & nuper Horatius Augenius, medicus ætatis nostræ eruditissimus, libro suo, sanè quàm docto, de modo præcauendæ pestilentiæ, testatur, quem mihi librum, Vincentius Carrarius Rauennas, Iurisconsultus Tolentinatium Prætor, dono dedit. Ego quoq, ut nouissima referã, uidi anno 1579. mense Martio Rauennæ in nobili iuuene, qui iã copiosa destillatione, & empyemate laborans, deploratus habebatur, ipsiusq; pulmonis substantiæ nonnihil sputo reiecerat, cuius testes adhuc multi supersunt; usu autem huius aquæ, ope Diuina, conualuit, & nunc uiuit incolumis, & ualida iuuentute. Pestilentiæ etiam tum curandæ, tum præcauendæ optimum hæc aqua remedium est, si cum iure pulli, alteriusúe boni succi, in quo decocta fuerint ex ijs, quæ cor roborant, aliqua, ad uncias quatuor, guttæ sex aquæ huius sumantur, ad hæc lumbricis,

bricis, colica laborantisiius, obliuiosis, resolutis, conuulsis, apoplecticis, si cum aquis proprijs detur; ad stomachi frigiditatem, si guttulæ duæ, cum vino cretico prębeantur, prodest. ad tophos etiam auferendos, qui circa dentes nascuntur, optimè facit, presertim cum dentes ita labant, vt si res ferro ageretur, periculum immineret, ne caderent. Itaque hoc oleo cum aqua rosacea temperato optimè expurgantur, grossipio in sumitate specilli tangentes. Plerique oleum sulphuris ita eliciunt; accipientes vrinæ puerorum lib. 16. antea despumatæ, calcis viuæ recentis. lib. 3. simul ferueant ad tertias; mox per filtrum excolentur; tum addentes sulphuris viui, optimè in puluerem redacti libram, simul ferueant, dum medietas absumatur, in vase vitreo, aut vitro oblinito, inde per filtrum percolatur, postea vase vitreo, pilroque rostrato imposito destillat liquor, primo perspicuus, deinde oleum aureo colore, quo ad neruos contractos, ad cancrum, malignaque & antiqua vlcera, & ad frigidos affectus, exterius vtuntur. Alijs sic paratur hoc oleum, ut Gabriel Falloppius Mutinensis, medicus ętatis nostrę, iure ac merito celeberrimus, docet; non quidem eo libro, quem de arcanis rimedijs, Italica lingua, illi falsò adscriptum; & typis Venetis excusum, legimus, indignum eo clarissimo viro; sed in tabula cauteriorum, quam in auditorum suorum, è quibus eram ego vnus, gratiam, ipsemet imprimenda curauit. Sulphur ignem nõ expertum; cum vrina pueri octo diebus in fimo equino calido macerato: habeas deinde catinum magnum huius figurę valde cauum; in quo hoc modo collocetur cucurbita luto incrusta-



ta, quæ sulphur coutinet, prius tamen instrato fundo catini, cinere calidissimo, & prunæ addantur, dum tota humiditas egressa sit, quod eadem ratione cognoscitur, qua in oleo vitrioli dicemus;

cemus; addatur deinde recipiens vas, & rimæ stipentur glutine ex farina & candido oui, linteo circumducto. Postea carbones flagrantissimi assiduè, ac assiduè supra cinerem illum calidum aggregentur, donec spiritus atque oleum egrediantur, quod col ligendum est, vt oleum chalchanti, & similis est vsus. sunt etiam qui uitella oui assa, & resinam terebinthinam æquis portionibus cum sulphure miscent, oleumque inde, igne cinerum paullatim aucto, eliciunt, malignis ulceribus, dolorificis, uirulentis admodum conducens. Qui uero ad librum Trotulæ adscribunt aquam, è sulphuris & salis usti, cuiusque lib. 2. tartari albi, & carbonum ligni auellanarum singul. vnc. 4. salis petræ vnc. 3. & aquæ ardentis lib. quatuor, huicque aquæ sæpius destillatæ, incredibiles tribuunt vires ij, meo iudicio, falluntur; neque enim omnes morbos depellere, calidos præsertim, poterit, cum calidissima sit; neque tueri iecur calidius, imò nec temperatum, ac potius vehementer nocere, tametsi aurum, vt ipsi aiunt, in ea sit dissolutum, nimis enim ardens, nimis naturæ aduersa est. Melior est eorũ methodus, qui sulphur aqua ardente imbuunt, mox incendunt, vt portio omnis aquea absumatur, reliquum deinde, iam exiccatum, destillant vti oleum philosophorum. Quod uerò è sulphure, oleo tartari ad duplum sui ponderis, repetitis exci cationibus, imbibito, & loco humido posito, fit oleum, fistulis appellatis cancris, huiusmodique vlceribus optimum, prætermitto, quod ad nostrum institutum minime faciat; quemad modum & cum sulphur in aqua ardente feruet, dum enatet len tor quidam, oleum vocatum, quem concha excipi iubent, aliquoties mutata aqua, dum satis olei collectum sit, quo demersum corporibus argentum viuum; quod in illitionibus pro lue Venerea, & huiusmodi morbis contingere quandoque solet; eli ci foras putant, si statim à balneo quis inungatur.



De Chalcantho. Cap. XXV.

EX Atramento sutorio, quod Græci χάλκανθον, Itali Vitriolum dicunt, oleum conficitur pari ferè modo: Romanum mitius est, Germanicum acrius. In olla exuritur igne fornacum, vel inter carbones, dum omnis exierit humiditas, & colore rubro euadat: inde vbi ferrixit, in mortario optimè tunditur, moxque in cucurbita, vel pomo vitreo, seu leuto appellato, luto sapientum incrustato, in reuerberatoria fornace, sic vt collum deorsum parum vergat, ponitur. Adhibetur ignis primo lentus, vel ex carbonibus, vel ex lignis siccissimis, primum tenuioribus, mox solidioribus, crassioribusque, dum omnis siccetur humiditas, si qua fuerit, aut nisi antea forte fuerit siccata; cuius illud fuerit signum, si detersum, siccatumque gladiolum ori cucurbitæ appones; nam si adhuc quidquam fuerit humiditatis, reddetur gladioli superficies humida; sin vero sicca permaneat, nihil humiditatis inerit. Tunc apponatur vas recipiens, satis magnum, ne vis vaporum, quæ vehemens esse solet, illud frangat, optimeque stipatis rimis, ignis augeatur, vt fumus ac spiritus ex chalcantho in recipiens vas transmittantur, linteo, aqua frigidissima madente, contegendum, & cum siccatum fuerit, repetendum, donec egredi spiritus desierit. Potest etiam lintei huius madentis vsus omitti, si metus sit, ne forte ob tenuitatem vas recipiens frangatur: Quamobrem qui oleum hoc conficiunt, furnum exigunt loco humido, & sub diuo, vt ambiens aer, illud absque fractionis periculo agat, quod linteum faceret, halitusque densent ac colligat. Vbi nullus amplius halitus, seu spiritus egredictur, quod aliquibus biduo contingit, subtrahendus ignis, dimittendaque vt frigescant, omnia; summaq. diligentia disiungẽda vasa, & colligendum oleum: quo inciduntur abscessus, & quæuis durissima caro. Vsus est, vt conficiamus gladiolum ex ligno oleæ, vt docet, loco memorato Falloppius, & cum illo, tacto vix oleo, secando-perforandoq. reliqua opportuna agamus. In pestilentia, pestilẽtibusque febribus, ephemera excepta, egregium certè remediũ habetur, atque vbi opus est corpora, phlegmate, malisq. referta

succis

succis κακόχυμα appellãt, à morbis tueri, idque cum purgata prius fuerint, sic vt vix quidquã possit efficacius reperiri ac valentius. Sed liquore indiget, quocum misceatur, quiq. eius acrimoniã ac vehementiam corrigat: canicularibus diebus eo abstinendũ, nisi ingens vrgeat necessitas; stomachum roborat, appetentiam excitat, infarctus expedit, putredini resistit, & renum affectibus prodest, qui ex stipatione ortum ducant. Pueris duæ tresùe guttæ cum aqua acetosæ præberi consueuerunt: grandioribus natu, ad quinque, & sex guttas exhibent. Sunt qui in ætate consistentiæ ad vnicam ascendant, cum vnc. 1. & sem. sirupi ex acore citri, & vncijs quatuor iuris pulli, in quo opportunæ morbis herbę efferbuerint: habenda tamen vbiq. temperamenti ratio; nam humidioribus, sæpius, ac maiori copia; siccioribus parcius exhibendum; atq. ego vix vnquam drachmam superarem. His qui sese à morbo reficiunt, mirificè conuenit, caloremq. instaurat. Plerique octo horis oleum hoc extrahunt, in furno superius contecto, quibusdam foraminibus ad latera factis, vt expirare possit; ibi retortam cucurbitam, luto diligenter munitã, ponunt, ignẽq. leuem primi gradus succendunt; post aliquod temporis spaciũ, vti hora tertia augent ad secundum gradum; rursus tempore medio, ad tertium gradum ascendendum, vt prunæ cucurbitam attingant, ad eiusq. partem mediam ascendant. Hora septima, ad quartum ignis reuerberatorij gradum veniendum est, vt prunæ superius cucurbitam, & ad latera totam circumdent: hic autem ignis adhibendus erit, dum vas recipiens, non amplius sit colori bus eius materiæ infectum. Sunt qui oleum hoc aqua ardente sę pius perfundant, & aquam abstrahant, vt efficiatur minus acre, ac magis tenue; Sed vt de tenuitate verum puto, ita de acredine, contra accidere, ob ignis caliditatem, ac tenuitatem ipsius, crediderim. Plerique ad chalcanthi iam igne rubentis libram, aquæ vitę optimæ libras quatuor addunt, & per tres dies balneo tepente macerant; igne mox cinerum molli, aquam eliciunt; deinde auctiore, oleum, quod quinque, aut sex horarum spatio, nisi erraueris, prodibit; ad chalcanthum nonnulli mel addunt, & aquam detrahunt, sinuosis, malignisq. vlceribus, si rectè adhibeatur, maxime commodam. Atq. hi longa salubriores modi sunt, quam eorum, quibus placet, chalcanthi ipsum, cum æquis aquæ communis & mellis partibus, potandum probent ad drachmam, idq. in pestilentia, ac pleuritide.

Balsamum

Balsamum. Cap. XXVI.

MVlti de balsamo conficiēdo, Matthiolusq. præsertim, ac Fumanellus tractarunt, multaq. ac penè innumerabilia in manuscriptis leguntur, sed hoc ego potissimum probare cōsueui, quod recipit myrrhę, aloes hepaticæ, nardi indicæ, thuris albi, lacrymæ sanguinis draconis, croci, mumiæ, opopanacis, bdellij, carpobalsami, ammoniaci, sarcocollæ, mastiches, styracis calamiti pinguis, gummi arabici, singulorū drachmas duas. Ladani, castorei, cuiusque drachmas duas & semis. moschi drach. semis. resinæ terebinthinæ ad pondus omnium: destillet oleū, vt ars postulat. est autem descripito hæc Petri Aponensis, medici sua tempestate clarissimi, capite de cordis affectibus: hoc vno differens, quod cum ipse ponat gummi styracis liquidi, nos calamitum apposuerimus, ea ratione, quod & difficilè hoc æuo fortasse sincerum liquidum inuenias, & iam scripta fuerit myrrha, cuius pinguitudo recentis, styrax liquidus est; & fortasse cum Aponensis, gummi styracis dicat, voluit calamitum intelligere, cuius lacrymæ ea vis est, vt nequaquā nos hic illam inseruisse pœnitere debeat. Appellat autem liquorem hunc Aponensis, medicamentum omnium medicamentorum in celeri cordis roboratione, ipsiusq. virium restitutione; quo si cadauera perungantur, nequaquam putrescere ait. Cum vero hoc remedio, extenuata corpora restituere ac roborare cōsilium fuerit, temperandum erit aqua rosacea, eo inungens, à ceruicis initio ad renes. Febrium rigores pellit, si ante accessionē, eo tepente vngatur spina; pari ratione in syncope adhibetur, eiusque parum sub lingua, in auribus, naribusq. si res vrgeat. In vteri strangulatu, epilepsia, & huiusmodi alijs morborum gen. rib. cū vino odorato præbetur. melancholicis quoque, & ijs, qui absq. causa tristantur, languidisq. sunt viribus, & bello debilitati, ac lassitudine laborant, maximè prodesse auctor est Aponensis. Cęterum cum alij pauciora, alij plura apponant, aut detrahant, infinita propè horum liquorum diuersitas orta est; nam aliqui vehementer laudant, quod habet resinæ terebenthinæ libr. 1m, thuris, mastiches, myrrhæ cuiusq. vnc. sem. ladani, nucis moschatæ, caryophyllorum, galangæ, zedoariæ, carpesij, singul. vnc. semis. fo

liorum daphnoidis pugillum, ſucci ebuli,& cucumeris agreſtis, cuiuſque vnc tres.rediguntur in puluerem, quę redigi apta ſunt; omnibus deinde mixtis, deſtillatione excipitur aqua,apum,veſparum,canum rabidorum,& reptilium venenoſorum ictibus, ſi inungantur, plurimum conducens; magna autem vtilitate Hydropicorum ventres inungi tradunt. Alij accipiunt, reſinæ terebinthinæ lib.duas,olei laurini vnc.tres, cinamomi,ſpicæ,cuiuſque vnc.2.caryophyllos quinquaginta, folij, vnc.duas. Euphorbij,baccarum lauri,gummi hederæ ſingulorum vnc.ſemis. chalbani,caſtorei,cyperi,cuiuſque vnc.ſex,tegularum bis coctarum, & recenter à fornace extractarum,ſtatimq. in oleo communi ex tinctarum,inde in tenuiſſimum puluerem redactarum, lib. ſem. ponatur hic tegularum puluis in fundo cucurbitæ, reliqua miſceantur, & ſuperponantur illi pulueri, appoſitoq. roſtrato pileo,ac rimis accuratè ſtipatis,igne leui adhibito,primò exibit aqua,quam ſeorſum ſeruare debemus;aucto mox igne, habebitur oleum,quod balſami vires æquare creditur; calidum enim & ſiccum eſt & mirificè penetrat, frigidiſq. omnibus morbis, neruorum præſertim, apprimè conducens; nam linguæ paralyſim, & oris,ac virgæ,ad hęc epilepſiam, membrorum tremorem frigida orium cauſa,dolorem dorſi,renum, artuumq. potum & illitum,plurimùm iuuare ſcribunt; aduerſus morſum ſcorpionum, ſerpentum,canis rabidi, & venenatorum quæ virus eiaculantur, vtiliter adhibetur. eadem ratione ſi quis hyoſcyamum, opium, cicutam,& venena huiuſmodi ſumpſerit,hoc oleum, vino tepido,hauſtum,& illitum conducet; vocem amiſſam reſtituit, ſtrumis,& carni in vlceribus ſupercreſcenti,reſiſtit; memoriam auget,occipite opportunè inuncto;ad ſurditatem facit, ad vteri dolores, ac dentiū, quos frigiditas,aut flatus craſſiores pepererint. Quæ primo loco manauit aqua, melior cenſetur potu, ſed ſola non exhibenda eſt, quemadmodum neque oleum, ſed cum aliquo liquore,morbis, quorum quęrimus curationem, proprio. Arnaldus Villanouanus,ſua tempeſtate, medicorum facilè princeps,eadem ferè ratione balſamum ſuum, arte parat;non tamen apponit lateres antiquos,non ſpicam,non foliū, nō euforbium, neque chalbanum,caſtoreum,aut cyperum, ſed horum loco ponit euphragiam,ladanum, thus,& maſtichem,eaſdemq. illi vires tribuit,illitaq. ter fronte, cohibere lacrymas ſcribit. Sunt qui aquam ardentem,vinumùe odoratum addant, & chelidonium,ſe-

men

men hypericonis, rubiam, lumbricos terrestres, tormentillam, dictamnum album, gummi elemi, sarcocollam, saluiã, nucleos pineos, benzuinum, succum, chamepityos, herbæ paralysis, coccum infectorium, & pleraq. alia, quę facile prudens medicus cõficere nouerit, morbo curando opportuna; quamobrem nõ est, vt in re non necessaria, verba conteram, præsertim cum Ioannes de Vigo, atq. item alij, multa ac magna de his scripserint. Hæc autem inuenta sunt omnia, & excogitata, postquam verus balsami liquor, aut haberi omnino desijt, aut saltem parcissimè habetur; illius enim vices implere hac ratione conati sunt, nec irrito quidem, mea sententia, euentu; nam liquores hi strenuè calefaciũt, siccant, attenuãt, aperiunt, digerunt, putredinique maximè resistunt, & olea, vulneribus, etiam capitis vel fracto cranio, malisq. vlceribus, & punctionibus neruorum egregiè conducunt, eadẽque ratione occidunt vermes ac serpentes: Quamobrem aliquo ex his stillatitijs liquoribus, supplerem ego potius uices opobalsami, quàm, quod plerique faciũt, oleo è nuce mystrica, aut myrrhæ stacte; nam hæc, non scribuntur eam habere, tota substantia, vim aduersus venena, quam habebat opobalsamum, quamque. Theriaca postulat, & quam stillatitij hi, de quibus dicimus, liquores, si rectè parentur, habent. atq. huius etiam sententiæ, Syluium, medicũm ingenio, & eruditione clarissimum, fuisse reperio, dũ de oleo philosophorum Mesue scribit, putatq. huiusmodi oleũ loco veri opobalsami, Theriacę, Mithridato, diacurcumæ, aureæ Alexandrinæ, miscendum. Qui verò in theriaca, & cęteris antidotis vice opobalsami, oleo myrrhę, vtuntur, ij sic illud conficiunt. Myrrham optimè tusam, in massam cum succo rosarum cogunt, & loco calido; duobus diebus, totidemq. noctibus, macerant; inde vase vitreo, stipatis diligenter rimis, sabulo optimè circundato, destillant, igne satis valido; exit primo aqua, colore flauo, odore myrrhæ, & vbi interior siccari humiditas incipit, minuitur ignis, ne tetro odore inficiatur: vbi refrixerint vasa, iterum tepentis aquæ balneo destillatur, & oleum elicitur, quo ad vlcera colli vesicæ, derugandamque faciem vtuntur.

Aqua in tenebris lucens. Cap. XXVII.



Icendulas, seu nitendulas doctissimi quidam viri putant prestare aquam posse, quæ in tenebris luceat; cũ enim hæc animalia, muscæ magnitudine, æstiuis noctibus uolantes, micare ac splendere viderint, facilè ex his liquorem posse fieri collegerunt, qui in tenebris fulgeat. Sic autem faciũt. Eorum caudam è corpore recisam, porphyrite lapide conterunt, & diebus quindecim, vel plusculis, sub fimo, vase vitreo condunt; fueritq. præstantius ne latera contingant, sed pendeant. elapsis autem diebus, fimo, vel calentis aquę balneo vase imposito; & commodato; paulatim luculentum & stillatitium liquorem subiecto vase recipiunt, ac perlucido christallino orbi includunt; sic conclauis medio aqua pendeat lucida, ære enim, qui circa illã est, ab ipsa illustrato, literæ maiusculæ noctu poterunt conspici, quando Cardanus, qui libro de subtilitate. 9. his videtur assentiri, scribat, se in tenebris hac viuente nitedula apposita, literas nonnunquam, velut candela ardente, adiutum, legisse. Idem fieri posse asserunt è squammis piscium, vti recentis Tinchiæ, & vulgo Harengi dicti, quę noctu splendent, quẽadmodum & spondili, & pleraq. ostracodermorum genera, vel super ea insidente musco. Sed miror grauissimos id viros scripsisse, cũ satis pateat, putrefactionem, quam præmittendam destillationi iubent, eã lùcis, ac partiũ, superficiei pręsertim, proportionem auferre, vnde manare splendor queat, quæq. apta sint lucem recipere, ac reflectere. Sed dixerit quispiam, nonne putridi quercuũ noctu lucent? imò magis lucent, quam cum putridi non sunt? Id quidem, fateor, verum est, sed dum putrescunt, non splẽdent, tunc. n. humore circumfusi, lucem amittunt, ac potius, vt alijs videtur, non accipiunt, at vbi ad certum terminum putrefactio peruenit, & calor ad superficiem egressus, ibi partes incenderit, tunc; vti doctissimè Albertus Magnus in secundum de anima auctor est; perspicuum ignis, aliquid retinens luminis, eis adhæret, & per illud micant; Id autem est ob partes igneas, quas habẽt in superficie. Quod autem quercubus ex putrefactione accidit, id multis alijs, non quod; vt Sosigenes Alexandri præceptor, tertio volumine de visu, asserit; hęc quadantenus naturam ętheris, & quin-

& quinti elemẽti participent, sed ab ipso ortu naturaliter cõtingit, cũ ex partibus ignitis cõponantur; quæ partes, excessu calidi tatis vrentis, ob mixtionem, amisso, quę est illarum tenuitas, lucẽ retinent. atq. hinc est, quòd felium, & luporum, ac ælurorum oculi, noctu lucent, & quidam galli, & cicadę, & aliquot etiam gal linacea oua, aiuntque in saltu Germanię Hercinio reperiri volucrem, cuius luceant pennæ, ignium modo, earumque splendore viatores, per immensas illas solitudines, itinerum dubios euentus moderentur. ad hęc accedit, postulari in hac luce, partium spissitudinem, nam ea, quæ de natura lucis esse compertum est, vbi sunt rara, nequaquam lucent; vti nec cœlum, nisi vbi in stellã densatur; nec ignis, nisi vbi in materia inferiori, crassiore, flammam cõcipit: hincq. est, quod aqua, tametsi minus sit, quàm aer, perspicua, cum tamen spissior sit, plus habeat luminis, ipsumque validius retineat: ex his itaque constare poterit, quòd si nitedulas, & huiusmodi reliqua, quę lucent, destillatione eliciemus, vel hac ratione lucere non poterunt, quòd spissitudo tollitur, & rariora efficientur; atque licet hæc prius non putrescat, quam destillentur, elici tamen inde liquorem, qui in tenebris luceat, posse, nequaquam putauerim, cum neque liquorem vllum, siue natura, siue arte genitum, huiusmodi esse, hactenus legerim. Sunt qui ad partem nitedularum lucentem, argentum viuum addant, & vbi in fimo simul putreuerint, destillent; qui haud dissimili ratione falluntur, præterquam quod in aquam destillari argẽtum viuum hoc pacto nõ poterit. Cogor igitur splendido hoc liquore, extremam hanc secundę huius Sectionis partem priuare: quę tamen ne sit omninò lucis expers, modum apponam, quo plerique ignem perpetuum seruari aiunt, capit autem æquas partes calcis viuæ, sulphuris ignem non experti, & ammoniaci, hęc cũ oleo miscentur, & vi ignis, stillatitius emanat liquor, quo lampadem ardere perpetuò, si credere fas est, asserũt. Quemadmodum in plerisque vetustissimis sepulcris repertum est, lucernas fictiles vltra mille annos ardere; tametsi vbi sepulcrum aer ingressus est, repente extinctę fuerunt; eiusque ignis materia, fortasse non omninò ab hac dissimilis fuit.

HIERO.



HIERONYMI RVBEI RAVENN.

DE DESTILLATIONE.

Sectio Tertia.

PATERE quidem ex his, quæ hactenus à nobis scripta sunt, puto, quid, quantumque vtilitatis afferant ad rem medicam liquores stillatitij, atq. adeo ipsa Destillatio, facturum tamen me operę precium censui, si præter ea quæ ex suprascriptis cognosci possunt, Galenum, Aetium, Auicennam, Mesuem imitatus, nonnulla adscriberē, à clarissimis medicinæ scriptoribus inuenta, & longa experientia comprobata; præsertim quod index quidam fuerint, ijs, qui organa stillatitia in promptu habent, eorum, quæ possint huiusmodi arte confici. Quæ tamen sic adhibeantur necesse est, ut quemadmodum docet Galenus generalis seruetur medendi methodus. Illa autem se habent in hunc modum.

Ad capitis dolorem ex frigiditate genitum, atque item antiquum.

IOANNES Herculanus medicus, centum iam & quadraginta annis, in Ferrariensi Gymnasio celeberrimus, cuius adhuc opera cum laude viuunt, vbi sola intemperies est, nihil melius aqua ardente putat. Quòd si adfuerit materia, purgato corpore, proderit aqua è floribus dictamni albi, naribus infusa, atque itē verbasci, fronti imposita; Hoc etiam oleum iuuabit; quod habet resinæ terebinthinæ libram, mastiches, cinamomi, nucis myristicę,

risticæ, cuiusq drachmam; caryophyllorum, galangę, zedoariæ, ladani singulorum sescunciam. succi ebuli, succi cucumeris sylvestris cuiusque vnciam: terantur quæ terenda sunt, & destillet oleum iuxta artem vitreis organis, quo pars dolens inungi, & foueri potest. Capitis morbos frigiditate obortos hæc omnia propellunt.

Ad Capitis dolores à calida causa exortos.

AQVAE plantaginis, rosarum, lactucæ, solani, sedi, adhibitæ, uel etiam panni linei ipsis madentes, videndum. tamen ne humores intro repellantur ad cerebrum.

Cerebro frigidiori, & ad expurgandum caput.

AQVAE sampsuci vnc. 3. si mixtis gr. 5. moschi, tepidæ naribus mane in caput trahantur, ore aqua pleno, plurimum conducet. asseritque præstantissimus medicus Bartholomæus Montagnana, melius se remedium, aut celerius, aut efficacius, cerebro, ac neruis roborandis numquam inuenisse: caput etiam purgat, & dolori capitis à materia melancholica confert aqua è betæ radicibus, si eius vnc. 3. cum duabus vnc. sampsucinæ, & modico sacchari albi, vesperi ante cænam, per vtrãque narem, purgato corpore, atque repleto ore aqua, quatuor, vel quinque vicibus trahantur.

Ad somnum conciliandum.

SVNT qui è floribus croci, demptis staminibus, aquam eliciant; eiusque præbent ad vncias 4. hora somni. Alij ex opio recenti, nudisque allij capitibus idem faciunt, detractamque aquam, alijs permiscent, ac dormituro præbent, quantum capitis nucis testa. Idem efficiet aqua è mandragora, calentis aquæ balneo elicita, ne qui potat nidore offendatur. Antonius Guainerius Ticinensis, clarissimus medicus, sic aquam parat; accipit enim musci arborei, florum nymphæ, papaueris albi, & nigri, lactucarum, cuiuslibet quantum manu capi poteũ. corticum

cum mandragoræ,sem.lactucæ,papaueris nigri, singulorum vnciam.sem. lolij. vnc.2. sem. Papaueris albi vnc.3. seminum quatuor frigidiorum vnc.2.s. cinamomi, nucis myristicæ, gingiberis,caryophyllorum vnc.s.ligni aloes, macis, cuiusq. drachm.2. myrrhæ,thuris,singul.drachm.2.s. croci drachm.2. opij drachm. 1.s.aqua ex omnibus eliciatur, cuius vsus fuerit à dimidia vncia, ad vnciam, vti vires ac vigiliæ ægrotantis tulerint; estq. sapore non ingrato. Alia etiam ratione parari potest,si acceperimus lolij,sem.hyoscyami,sem.portulacæ,cuiusq lib.s. mādragoræ vnc. 3.s.papaueris nigri,semin.grassulæ maioris,semin.cicutę,sem.papaueris rubri,semin:halicacabi,singulorum vnc.3.vnumquodq. seorsum in pollinem redigatur, inde in cucurbita, diebus quinque,aut sex macerentur, postea adde succi grassulæ maioris,succi foliorum,seu radicum hyoscyami,succi foliorum pauperis rubri lib.s.opij,vnciam.omnia simul misce,& destillet aqua, cuius est,vt superioris,vsus.Pari ferè modo,alij accipiunt,opij.semin. hyoscyami vtriusq. drach.s. nucis myristicæ, galliæ moschatæ, agallochi,singulorum, scrupulum.succi coriandri virentis,vnc. 4.simul omnia quindecim diebus macerentur, postea addantur metellæ,drach.s. lactucæ per diem ac noctem vino albo generoso infusæ,quantum manu ter capi potest,corticum mandragoræ recentis, sem.lactucę cuiusq. scrup.s. vitreis organis aqua eliciatur. Aliud.Nucis metellæ drach.sem.papaueris drach.s.hyoscyami albi tantundem,opij gr.1.sacchari optimi drach.4. sem.lactucæ,papaueris nigri,cuiusq. drachm.2.sem.lolij drach.s.fiat aqua. Parcè illa vtendum,nec nisi medici consilio; alij crocum,& spicam addunt ad tria grana; potestq. rerum quantitas proportione augeri; Sunt & qui vino generoso omnia infundant,mox destillent. Aceto autem ebibito,vis omnis euanescit somniferi medicamenti, cuius drachma dimidia,aut ad summum,integra,sex horis somnum conciliare dicitur; quamquam non est temperamenti ac ętatis negligenda ratio. Aliud. Succi fabarię, seu fabæ inuersę,lolij,solani,singul.vnc.6. sem. hyoscyami, sem. fabarię, sem.endiuiæ,lactucę,violarum,rosarum,cuiusq.vnc.s.opij Thebaici drach.2.s. quę teri possunt terantur, infundanturq. in vnc. 8.aquę ardentis, mox tepentis aquę balneo, pluribus vicibus liquor destillet, cuius exhibent ad drachmas duas. Neque vero mirum est tot inuenta fuisse,atque item multa alia, ad somnum conciliandum, quando vigilia non minus virtutem exoluat,

quàm

quam sensibiles euacuationes, vti nos docet Galenus primo in Prorrhet. comment. 8.

Ad Apoplexiam.

AQVAM è spica & lauendula, bibitam, laudat Matthiol.

Ad Comitiales.

BARTOLOMEVS Montagnana, centum iam & quadraginta annis, magni nominis medicus, quem Patauij commorantem Reges, & viri Principes non modo Itali, sed exteri, de morbis difficillimis consulebant, aquam maximè probat è Pęonię radicibus atque item radicibus graminis ad vncias tres cum saccharo mane per plures dies sumptam. Cranij etiam humani oleum per retortam, igne primum mediocri, mox vehementi extractum, plurimis maximè probatur; elimantur autem primo tria, aut quatuor ossa cranij, aut conteruntur ferreo pistillo, cũ difficile admodum terantur, & in recurua cucurbita ponuntur, sexque diebus fimo equino, aut balneo calentis aquæ obruuntur. Oleum post aquam exit, colore quidem aureo, sed tetro odore, quod doloribus etiam ventris, coli præsertim, maximè laudatur. Sunt qui salem è fæcibus aqua dissolutis conficiunt. Aquæ item è stercore humano, nec non & è folijs ac floribus hyperici potatæ iuuant; è cerasis quoque præsertim ad excitandos qui corruerint. Alij capiunt foliorum, & florum saluiæ minoris libram, rutæ vnciam, florum lauendulæ vnc. 2. nucis myristicæ, caryophyllorum, zingiberis, cinamomi, cuiusque vnciam; spicæ nardi, castorei, singulorum drachmam granorum paradisi, quæ meleghettas plerique vocant, olei laurini cuiusq. vnciam, corticum malorum citriorum drach. 3. contundantur optimè omnia, uinoque albo generoso macerentur aliquot diebus, cucurbita accuratè clausa, inde igne lento stillatitius liquor excipiatur. Plerique pullos hirundinum circiter sexaginta, vna cem castorei vnc. 2, granorum pæoniæ vnc. 5. in aqua ardentis libra, diebus quindecim macerant, occlusa optimè cucurbita, deinde addunt liquoris primi è chalcantho educti, & aceti albi acerrimi, cuiusque libram; demum quindecim diebus macerant omnia, mox igne cinerum moderato destillant, dum liquor per

spicuus manauerit, cuius mane ac vesperi cochlear exhibent dum totum sumatur; quod si castorei odor, ac sapor ingratus sit, grana duodecim moschi adiungunt, & totidem caphuræ, & sacchari candi lib. 5. Guainerius, hirundinum partes 6. castorei partem vnam simul cum aceto optimo miscet diligenter, ad cataplasmatis formam, inde aquam elicit, cuius cochlear mane sumptum plurimum prodesse affirmat. Alij libras tres ligni a quo uiscus quærnum extrahitur, decoquunt in aquę fontanę libris .32. dum tres partes absumantur. Inde expresso addunt Aquæ radicū et seminū pæonię vnc. 4. passularum detractis nūdeis vnc. 2. Moschi scrupulū, folię mori. 20 florū buglossa vnciā omnia simul destillatione excipiuntur, & aquę detrahuntur triū generum. Prioris ad vncias. 4. Alterius vncias. 3. tertię vncias. 2. exhibēt. colligunt autē mense Martio lignū aut septēbri, radices ac semina autumno: & sumpta aqua deglutiunt vnciam mediam diantlos. Thomas Erastus quarta parte disputationū suarum in Paracelsum, aquas duas describit, multorum vsu cōprobata, efficacesq. compertas; alteram ipse honestissimę cuidam matronæ (quæ & antea laborauerat, & quo die ad eam vocatus fuit, tres paroxysmos perpessa fuerat, ante multos annos composuit; qua usos postmodum fuisse multos, non absque euidenti fructu scribit: alteram in usu habuit Ioannes langius Illustriss. Palat. Principum medicus clarissimus, & experientia celebris. Vsus earum est, ut in paroxysmo diducto ore, cochlear plenum infunda datur, fauces, tempora, & nares ea confricentur. Deinde, ut quo tempore insultus timetur, siue dum post breuia interualla accessiones repetunt, uesperi, & mane tantundem ægroto offeratur, una cum duobus trochiscis, quorum mentio fiet; Si mandere ægrotus nequeat, in aqua dissoluti exhibentur. Postremo ut tēpore præseruationis singulis septimanis, cum luna uel quadrata, uel plena, uel noua efficitur, cochlear unum sumatur, cum duobus trochiscis mane, & uesperi, & morbo remittente, mane tantum; deinceps metu plenè sublato, bis in mense, plenilunij & nouilunij temporibus accepisse sufficit. Prior igitur Erasti aqua sic habet. Florum lilij conuallium lib. 1.5. Florum pęonię, lauendulæ, Betonicæ cuiusque libram. Florum Tiliæ, Verbasci odorati singul. unc. 2. 5. radicis aristolochiæ longæ unc. 1.5. uisci quercini drach. 14. uisci corylorum drach. 3. cubebarum, unciam. Piperis nigri, castorei Pontici, cuiusq. unc. 5.
inci-

incidantur incidenda, misceantur, infundantur in vini vel malvatici, vel alterius generosissimi mensuris duabus germanis, per tres hebdomadas, maneantq. loco calido, vel soli exposito, & quotidie agitentur, demum balneo marię destillentur. Quoniã autem herbæ, & flores omnes uno tempore non colliguntur, infundenda sunt in vino, quæ primo apparent, ac post tres hebdomadas exprimenda, & destillanda; quod effluxerit, cum expresso prius vino miscendum, donec haberi omnes queant. Possunt etiam siccæ accipi omnes, modò in vmbra sint siccatæ, præter flores lilij conuallium. Trochiscorum autem descriptio capit; Cinamomi drachmam, rad. pæoniæ, semin. eiusdem cuiusque scrup. 2. Zingiberis, Cubebarum, Caryophyllorum, macis, sing. scrupulum. specierum cordialium, spec. arom. caryophyl. cuiusque scrup. s. spec. Diambræ, Diamoschi sing. gr. 5. nucis myristicæ conditę drachmam. sem. citri excorticati scrup. 2. sacchari albissimi vnc. 8. in aqua suprascripta dissoluti. ex his fiant iuxta artem trochisci, instar eorum quæ manus Christi uocantur. Pro ditioribus inaurari, & oleo stillatitio vel anisorum, vel macis, uel alio simili aspergi poterunt, cum funduntur supra lapidem. Altera langij sic paratur. Florum lilij conuallium manip. 8. superfundatur mensura uini Cretici, aut moscatelli, aut alias generosi, in eoque per dies quinque infusi maneant, mox vitreis organis tepentis aquæ balneo destillet. Mox accipe Cinamomi drach. 6. nucis myristicæ drach. 4. piperis longi, drach. 2. florum lauendulæ vnciam; Florum roris marini, stœchadis cuiusq. vnc. s. cubebarum drachm. 2. visci quercini, rad. pæoniæ, rad. Dictamni nostratis cuiusq. vnc. s. omnia crassiculè contrita, rursus in superiore vino per dies octo macerentur, loco aprico, postmodum destillentur, vti supra. Trochischorum hæc forma est. sem. pæoniæ excort. vnc. s. margariti præparati drach. s. macis scrupulum, folia sex auri, sacchari albissimi in vnc. 5. aquæ iam dictæ soluti, & decocti ad perfecti, vnc. 9. fiant trochisci. Hanc autem compositionem Langius tanto studio abscondit, vt, ipso viuo, communicatam scribant nemini. Ceterum ut hęc iucundior, ita quæ Erasti est, mihi longe efficacior videtur. Hæc autem medicamenta, vbi aqua uitæ, & huiusmodi calidiora ingrediuntur, in ea epilepsia potissimum adhiberi debent, quam aut pituita, aut melancholia naturalis effecerit. minus autem in ea, quæ pendet à sanguine, de qua Galenus in 4. de ratione vict. in morb. ac. 23. scri-

bit.quæq. ab exustis humoribus efficitur; quam Hippocrates 3. Aph.29.iuuenibus accidere affirmat,miror q. Galenum eo loco mirari,quo modo Hippocrates Epilepsiam iuuenibus adscripserit, cum alibi non modo pueris plurimum accidere, sed inde etiam puerilem morbum appellatum fuisse, & verò ætatis mutatione sanari dixerit. Fit ergo, inquit Galenus, epilepsia in quibusdam iuuenibus, quibus antea pueris non acciderat, propter ipsorum vitiosam, & inordinatam victus rationem, & peccata in cibo, & potu,& alijs actibus admissa. Verùm nec sic quidem multæ hac ætate epilepsiæ; Alijq. his non minus quidam morbi fieri possunt eadem ratione. Verùm hanc mihi rem explicatius tradidisse videtur Petrus Aponensis cum de stomachi cruditate scribens,ait, eam esse caloris uehementiam in quibusdam iuuenibus, ut cibos tenues,& coctu faciles,non coquant, sed adurāt, quod idem in humoribus faciunt, & eos quasi in venenum vertunt, inde in sublime, halitus ad cerebrum tolluntur, cerebrumque læsum cōtrahit sese,uiresque suas colligit, vt expellat quod nocet, qua etiam ratione, initio somni repentina quadam corporis concussione nonnunquam iactamur,nam dum spiritus ad cerebri ventres cogitur, & vna illabitur fumus acris, & biliosus, qualem per diem laboribus, & curis uerisimile est colligi; cerebrum irritans, vis insurgit expultrix, & cum valido conatu extrudere nititur, quem conatum totius corporis iactatio & concussio plerumque conatum totius corporis iactatio &concussio plerum consequitur; quod si humor huiusmodi in caput repat aut ibidem gignatur affluentior, non epilepsiam solum, sed & apoplexiam gignet, vti 6. Aphor. 55. 57. Hippocrates, & Galenus asserunt,calore enim & laboribus ætatis illius, facilè in quibusdam humores uruntur, sic ut malignum quidpiam acquirant. tametsi contra Fernelius senserit, dum a melancholia apoplexiam gigni; cum tamen oppositum sæpe experientia testetur, & dictet ratio.

Ad

Ad phrenesim.

AQVA boraginis, & buglossæ capiti admota. Item è floribus nymphæ; aqua etiam rosacea, initio morbi; neque enim valde est adstringens; licet secus quidam non incelebris medicus nuper scribat; quod supra memorauimus. quoniam autem non vnus in phrenitide cerebri locus afficitur, vt docet Galenus 2. Prorrheticorum 27. ideo, locum diligens medicus animaduertet.

Ad Melancholiam.

ACCIPITVR zedoariæ, doronicorum, corticum citri, macis, nucis myristicæ, cuiusque drach. 2. coral. rub. succini, limaturæ eboris singul. scrup. 2. behen albi & rubri, caryophyllorum, zingiberis, piperis longi, spicæ, folij, croci, heil, cuiusq. drachmam. Trochischorum diarhodonis, agallochi singulorum drach. 5. cinamomi, galangæ zurumbet, cuiusq. drach. 1. s. fol. auri, & argenti contusi cuiusque aureum, margaritarum splendidarum drach. 3. fragmentorum saphyri, hyacinthi, smaragdi, singulor. drach. 5. moschi drach. 5. Ambræ drach. 2. myrobol. emblic. vnc. 5. rosarum vncia. Hæc omnia optimo vino macerata octo horarum spatio, destillatione excipiuntur. Sauonarola huius descriptionis auctor, hanc aquam maximè probat, ijs qui absque causa manifesta tristantur, qui capite tremunt, aut corde; quibus solitudo expetitur, vitatur amicorum societas. Sed uti dixi, nec gemmarum, nec metallorum ullum hic vsum agnosco, quando eorum substantia non dissoluatur. Quamquã autem Doronicos aliqui abhorrent, quòd venenum esse brutis videantur, atque ob id sint hominibus perniciosi, responderi tamen potest, non esse perpetuò verùm, quę sunt brutis venena, ea hominibus item esse: nam cicuta, elleborus, nux vomica, duo priora, sunt hominibus venena, non sturnis, posterius, ceteris brutis, non homini: licet multa sciamus suapte natura venenosa in vsum medicum venire, earum moderata quantitate, vti crocus, scammonium, elaterium, colocynthis, & plura huiusmodi.

De

De Behen albo, & rubro doctissimus Matthiolus contendit non reperiri legitima, in Italia, alij tamen carotas, quas vulgo vocamus, esse putant, quòd pastinacæ radicibus similes siut: Quia tamen hic, non in Oriente nascantur, idcirco nec odoratas esse, neque tortuosas, quòd illis ob siccitatem accidit; pleriq. etiam aiunt. carotos, ab ipsis Arabilus, behen, hoc quoq. tempore appellari. De zurumbet, seu zerumbet, quod dicam nihil est, quam quam enim Matthiolus idem esse cum Arnabo Pauli Aeginetæ scribat, si tamen Garziæ ab Horto de aromatibus, quæ apud Indos nascuntur, scribenti assentimur, Auicenna videtur propius accessisse, cum illud faciat cyperi simile: nam Garzias scribit, zurumbet graminaceam plantam esse, cum Arnabo sit arbor procera, vt Serapionis auctoritate memoriæ prodidit Isach: an verò à zedoaria differat, alibi nos forsan differemus, & luculẽtissimè insignis, & clariss. medicus de omni medica materia, egregiè meritus, Vlysses Aldrouandus, patricius Bononiensis, diuinis penè suis commentarijs propediem explicabit. Heil Cardomomum est, cuius meminit Mesues in electario Indo, & Gabriel in aromatico rosato. Sunt qui velint, vt cum Heil solum scribatur, Cardamonum maius intelligamus, cum verò & cardamomum, & heil simul leguntur, pro heil accipiamus minus. Alia aqua ad malencholiam; habet fol. rosarum, drachm. 15. dulcis radicis mundæ drachm. 7. agallochi, santalorum, cuiusq. drachm. 3. cinamomi drachm. 5. macis, caryophyll. singul. drach. 2. s. gummi Arabici, tragacanthæ, cuiusque drachm. 2. scrup. 2. nucis myristicæ, cardomomi, galangæ, singul. drachmam. spicæ scru. 2. ambræ scup. 2. moschi scrupulum, aquæ rosaceæ stillatitiæ, vini optimi, cuiusque. quantum sat fuerit, vt macerentur hæc omnia, deinde lento igne excipiatur uitreis vasis aqua: Quæ stomacho ieiuno, ob frigiditatem, ac humiditatem languenti, egregiè succurrit, & coctionem iuuat, appetentiam excitat, cordiq. mirificè opitulatur. Qui tamen calidiori sunt temperamento, cordis præsertim, aut aliquarum in mesenterio, ceterisue locis partium inflammatione laborant, ea temerè non vtantur. Aqua etiam è folijs, & floribus croci plurimum conducit, & caput roborat.

Ad

Ad capitis defuxiones:

AQVA è radicibus ireos, pituitosas validè materias digerit, & à capite ad vias vrinæ distrahit, ad vnc. v. mane sumpta; idem facit aqua è calamento, nec non è lapatho minore.

Ad resolutionem neruorum.

BALSAMVM, & aquam ardentem, de quibus suo loco diximus, conferre mirificè affirmant. Aqua item è floribus ac folijs hyperici, bibita. Alij hoc laudant, quod recipit, terebinthinæ lib. 2. laterum antiquorum in oleo iasmino extinctorum, macis, styracis, singul. vnciam. benzuini vnc. s. fiat destillatio in alambicco vitreo. tres fluent liquores, quorum tertius erit optimus. Montagnana scribit sibi expertum ad difficilem brachij, & manus motum, inungere vertebras quatuor priores colli, oleo spicæ stillatitio; laudat & aquas eupatorij, ireos, & abrotani ad unc. 5. cum saccharo, mane sumptas. Refert Guainerius, Eremitam, magnum alchimicum, multos paralysi laborantes, sanitati restituisse; cum enim multos annos vir ille, in arte chemica laborasset, & omnia vana comperisset, aquas tamē & olea; & huiusmodi plurima didicisse; a quo, cum multa se habuisse scribit, tum hoc quod sequitur. Olei è costo, è nucibus, cuiusq. unc. 3. s. pinguedinis vulpis lib. s. pinguedinis viperarum vnc. 3. primulæ veris virentis, saluiæ item virentis, singul. lib. 5. herbas contusas cum pinguedinibus, cum oleis misce, addendo castorei unc. 5. resinæ terebinthinæ libram. piperis, pyrethri, euphorbij cuiusque drach. 3. hæcq. simul omnia in vini optimi lib. 2. s. macerentur, inde destillentur; cumq. tres liquores emanent, postremus omnium efficacissimus habetur. Facilius etim fieri potest, & melius si chalbani, gummi hederæ cuiusq. lib. s. olei laurini unc. 2. terebinthinæ lib. 2. destillaueris, & liquores vti supra, detraxeris, tertioq. qui exit, utare. Cum etiam è lateribus oleum ipse Eremita destillabat, viperam perpetuò apponebat in cucurbita, cum in viperis magnam ille sanitatis partem constitueret. Alij sic faciunt, in quibus est Benedictus Victorius Fauentinus

ventinus,medicus insignis. Aquæ ardentis libra, radicum chamæpityos, radicum acori, rad. hyssopi cuiusque drach. 2. piperis nigri, caryophyllorum, nucis vnguentariæ, quam myristicã nominant singul. drachma. folij drach. s. omnia simul benè contundãtur, & in linteo tenui ligentur, infundanturq. in aqua ardẽte per duos dies naturales, deinde percoletur aqua, ad cuius unc. s. adde aquæ chamæpityos, aquæ endiuiæ cuiusq. drach. 3. deturq. mane, sex horis ante cibum, ęgroto; cuius etiam membra malè affecta, si aqua ipsa diluantur, optimè proderit. *Multa alia, infinita* propemodum, ab auctoribus medicinę traduntur, quæ aut cum his conueniunt, aut parum absunt. Melissopylli, & saluię aquam, ad vnc. 4. plerosq. multos dies potasse scribitur, magno successu, in hac neruorum resolutione.

Ad tremorem.

AQVA handachochæ, quam lotum ægyptiam pleriq. putant, alij trifolium, cum aqua betonicæ, & rorismarini ad vnc. 3. cum saccharo, mane bibita, per multos dies.

Ad oculorum nebulas, & suffusiones.

LAPIDEM pyritem, vbi prunis incanduerit, in oleum vetus proijciunt, idque quinque aut sex vicibus repetunt, inde lapidem optimè tritum, vitreo vase destillant, & vbi manare liquor cessauerit, fęces conterunt, illique eductum liquorem superfundunt, mox destillãt; & quo sæpius id effecerint, eò efficacior reddetur; qui elicitur humor, ad offusam oculis caliginem, & suffusionem admodum laudatus: sed non imprudenter adhibendus est, cum sit vehemens, & oleum oculis inimicum habeatur. Alij Pilosellæ partes decem, chelidonij tres, fœniculi duas, mense Maio, dum rore adhuc madent, collectas, calore cinerum destillant; sunt qui aloem addant: pleriq. sola aqua pilosellæ stillatitia vtuntur. Mesues valde probat abstergendis oculis, & visui roborando collyrium, quod Saboris Regis Medorum, Girgis filij, fuisse scribit, & præciosum appellat, fitq. vere, & habet foliorum rosarum completarum, rutæ, fœniculi, chelidonij, herbæ adhil, par-

tes

tes æquales, destillet aqua, & seruetur vase æneo. Alij vino albo per diem,& noctem macerant rosas rubras,adiantum, fęniculũ, rutam,verbenam,eufragiam,betonicam, seseli, inde aquam lento igne, vitreis organis eliciunt, ad solemq. ponunt per decem dies, inde guttatim mane & uesperi in oculis stillant. Alij accipiunt zingiberis,cinamomi,caryophyllorum, nucis myristicæ, granorum Paradisi cuiusque vnc.s. foliorum saluię libram; cardamomi,cubebarum,mastiches,galangæ,rosmarini,sampuschi, lauendulæ,melissæ,betonicę,singul.drachm.2.omnia benè contusa in lib.9. vini optimi, aut aquę vitę per decem dies macerentur,mox destillet aqua, cuius duę, tresùe guttę oculis suffusione laborantibus instillentur. Sed ea nequaquam pretermittienda sunt,quę capite de vino diximus. Prodest autem aqua hæc eadẽ multis alijs morbis, perinde ac elixir vitæ. Addunt nonnulli ad ea quę superius scripta sunt,aquam rosaceam stillatitiam,tutiam preparatam,aloem,caphuram,magnetem,plantaginem,semina iuniperi.& omnibus simul maceratis,aquam extillãt: sunt & qui mel apponant vt sit valentior:aqua.n. è melle stillatitia, suffusionibus,& nebulis conducit; quæ item destillat è melle rosac. valet,sed est lenior: quemadmodum ea acrior videtur,quę elicitur è resinę terebinthinę lib.s. sulphuris ignem non experti vnc.2. mellis rosacei vnc.4.plantaginis,arnoglossæ sing. quantum capi manu bis potest. Alij accipiunt succi fęniculi,chelidonij,cuiusq. vnc.2. mellis rosacei vnc.10.rutæ,pugillum,euphragię,quantum bis capi manu potest,fellis veruecis vnc.4. sarcocollæ drach.2.s. sagapeni vnciam,caphurę scrup.2.miscent,ac destillant. Qui Iacobi Hollerij Stempani lib. de morborum internorum curatione, scholia addidit, vir spectatę in re medica eruditionis, refert, quãdam mulierem Lutetię, aqua è phænicea anagallide destillata,multos suffusione laborantes,curasse; quod efficit aqua etiam hyrundinum,& picarum stillatitia. Donatus quoq. Antonius ab Altomari, med. Neapol.ætatis nostræ clarissimus, ea se vti aqua consueuisse scribit, quam Neapoli pharmacopolę parare solẽt, socialemq. appellant; cuius habetur descriptio eo lib. cui Rosæ angelicæ titulus est, asseritq. feliciter successisse: habet autem,fęniculi,rutę,eufragię,verbenæ,tormentillę,betonicæ, rosarum, syluestris endiuię,callitrichi, anagallidis,pimpinellę,chelidonij, papyri,pæoniæ,foliorũ vitis,apij, agrimonię,& caprifolij, sing. partes æquas,terantur,& prima die ponantur in vino albo; secũ-

S daIn

da in urina pueri, venerem non experti; tertia, in lacte mulieris; quarta in melle optimo, quo tempore destillentur, & quod elicitur, vsui seruetur. Hęc autem omnia, purgato corpore, exhibere oportet.

Ad oculorum inflammationes.

AQua è lenticula palustri fronti apposita, & palpebris, Item aqua borraginis, & bugolossæ intus, & extra adhibita: doloribus etiam à calida causa profunt hę aquę.

Ad oculorum defluxiones.

AQua è floribus ligustri in oculos instillata. Item è floribus verbasci; quę & erysipelati conducit, & igni ambustis.

Ad oculorum ulcera.

IOannes de Vigo, hanc ad vlcera & vulnera oculorum aquam describit, vbi materia calida est, nequaquam autem insignis dolor. Recip. aquæ rosaceæ stillatitię, florum myrtillorum, equiseti, cuiusq. vnc. s. sacchari candi è sirupo rosaceo drach. 2. sief albi absq. opio, sief è plumbo singul. drachmam. sief è thure, drac. s. aloes epat. scrup. s. myrobalanorum citrin. drach. 1 s. candida trium ouorum. Tritis terendis, quassentur, & misceantur omnia, inde vitreis vasibus, stipatis accuratè rimis, aqua destillet, quæ ulcera purgat, & ad cicatricem perducit. Quòd si à frigidis humoribus ortum vlcera habuerint, hac instillabis oculis, quę capit, sief è thure drachmam, è plumbo drach. 1. s. myrobalanorum citrin. drach. 2. cadmię, stibij, cuiusq. drach. 1. s. myrrhæ scrup. s. sarcocollæ, aloes epaticæ, cuiusque drachmam. aquæ plantaginis, rosaceæ singul. vnc. 1. s. terantur, quę terenda sunt, omnibusque mixtis, eliciatur aqua vase vitreo, qua perinde, ac collyrio, vtare. Mesues auctoritate Gabrielis, ad oculorum abscessum, & vlcera, probat aquam altarasacum, cum myrrha, aloe, & cortice thuris.

thuris. est autem altarascon, endiuia syluestris, seris, seu intibi species.

Ad aurium dolores.

SVnt qui aquam è fraxino stillatitiam vehementer probent, auri infusam; præferunt alij succum, vi ignis expressum. Item aqua ex opio, & theriaca.

Ad aurium surditatem, & tinnitum.

AQua vitæ optima, in qua trium dierum naturalium spatio infusa permanserit radix cyclamini, nuclei persicum, & amigdalæ amarę; ijs enim vehemẽter expressis, gutta huius aquæ in aurem instillatur, alternis diebus, cum itur vesperi cubitum; purgato tamen prius corpore.

Ad sanguinis narium fluxiones.

AQua cyclamini stillatitia, si quid prę sertim caphuræ additũ sit, per nares tracta mirifice prodesse scribitur; si præsertim reuulsio aut deriuatio ad vicina pręcesserit, ut 5. Meth. 6. Gal. docet. Aqua item plantaginis, cum pari portione aceti volis manuum, ac pedum, & iecinori, apposita linteis madentibus. Aqua etiam menthæ cum floribus, balneo marię destillata, si ad vnc. 4. bibatur. Item aqua è nucamentis salicis. Non est modo nostri instituti, docere, nõn semper sanguinem è naribus sistendum, nẽ pe cum criticus est, aut inter criticum & symptomaticum medius. licet enim grauissimus auctor Fernelius, li. 1. de venæ sectione cap. 7. putet, è naribus, qui excurrit, sanguinem, aliquot symptomata febrium mulcere, uix tamen propriam morbi essentiã atque radicem euellere, nisi forte immoderatior succedat profusio, summa uirium dissolutione, quę tamen nusquam videtur optanda; quamobrem in ijs febribus, tametsi nares multo stillent sanguine, uenam tamen cubiti secandam iubet, Hippocrates tamen 1. de morbi vulg. secus videtur fecisse in Metone, qui cum grauissimè ęgrotaret, ac è dextra nare cepisset, parce tamen, san-

guis fluere, non secuit venam, sed vt abundantius flueret, caput lauit, postea vero, & frequenti fluxu sanguinis, non tamen immo deratiore, nec summa virium dissolutione integrè iudicatus est, cum etiam sudasset, & Galenus eum locum explicans, hinc nos habere ait, Quę ducenda sunt, eo ducere oportere, quo natura vergit; vt habetur 1.aph.21.

Ad firmandos dentes, & fluidas gingiuas.

PRioris aqua è melle stillatitię libra, salis communis albi vncia, aluminis rupei crudi vnc s. salis nitri vncia, aqua è fron dibus lentisci, & e rubo stillatitię cuiusq. vnc.s. mastiches vnc. 2. totidemq. aceti albi, atq. item vini albi, omnia balneo tepentis aquę destillãt; & in ea quę destillauerit aqua, ponas (si, quod mul ti expetunt, rubrum colorem in aqua desideraueris) cinamomi, boli armeni, ligni aloes, ac mellis parum; quod si color ruber nõ placet, hęc apponas ante quam destilles, cuiusq. vnc.2. vsus est huius aquę, ut abluto prius ore, & exiccato, dentes ligno, linteo loue ipsa madente, perfrices; adstringuntur enim, & confirmantur, ac albescunt.

Ad oris halitum commendandum, atq. item narium.

REcip. aquę rosaceę lib.1.s. aquę uiolac. libram, aquę sampsuci lib.s. nucis myristicę, agallochi, cinamomi, galangę, zedoariæ, e cuiusq. drach. 2. in puluerem redigantur, quæ possunt redigi, & cum aquis misceantur, destilletque aqua, cui addi to moschi gr.8. nam purgato capite, si ipsa aqua quotidie, stomacho ieiuno, emunctisq. naribus, trahatur, mirifice confert, dum à cerebro ortum, malum habuerit.

Ad dentes cariosos, ac putridos.

AQua e radice pyrethri vino infusa, si dentes sæpe colluantur.

Ad anginam.

INitio morbi, aqua glycyrrhzæ, cum modico succo myrtillorum; inclinante, aqua altheæ, gargarizata. huic autem si addideris

deris nonnihil sirupi e betonica, melius fuerit. Sunt qui desperatis casibus, sanguinisq. detractione, ac ceteris ex arte adhibitis, duas tresue guttas olei e chalcantho, cum aqua plantaginis prębeant; alij ex uino, quod minus probatur. Sunt & qui aquam scabiosę mirifice extollant: addunt alij ad huius libram, aquę ardentis vnciam, sed indiget prudente medico, ne inflammatio augeatur, aut intempestiue apponatur.

Ad Columellam laxatam.

AQua e phyllitide, gargarizata.

Ad vocem impeditam.

AQua e lauendula, aut e spica nardi, ore retenta; idem facit e cinamomo, cum à causa frigidiore, humidioreq. originem ducit; quod fere semper contingit.

Ad cruenta sputa, & sanguinis reiectiones.

AQua è floribus ligustri, item è folijs quercus, nec non è cyclamini radicibus, & ex herba ac radicibus equi seti, pota ad vnc. 6. cum saccharo. alij accipiunt carnium limacum coctarum in vini austeri & aquæ plantaginis lib. 2. conseruæ consolidæ maio. & rosarum, cuiusque libram. cum decoctione limacum destillationem in alambicco faciunt; cuius destillatitij liquoris libram, per manicam Hippocratis colatam, cum sacchari dissoluti in aquæ stillatitiæ plantaginis vnc. 2. santali, spicæ, singul. scrup. s. exhibent. Aquam sulphuris, quam vulgo oleum appellant, modica quantitate cum aqua plantaginis, seu bursæ pastoris, ad uenam in pectore reseratam, ruptamue, mirificè conducere, compertum est. Vbi autem uiribus metuitur ita faciunt. Conseruæ rosa. cornorum, symphiti, cuiusque vnc. 2. elect. diarhod. abb. Diamargarit. frig. triasantal. aromatici ros. singu. drachma 2. spicæ, cornu cerui, coralli rubri, in pollinem redactorum cuiusque drach. 1. s. trochisch. è terra lemnia, è succino, è spodio, sing. scrup. 4. sem, acetosæ, portulacę, plantaginis, uini granatorum, cuiusq. vnc. 4. decoctionis duarum turtu

rum,

rum, & vnius perdicis, quarum ventres adstringente materia infarcti sint lib.4. cum mica panis albissimi infusi in vino granatorum, & cum carne vnius capi, fiat destillatio; quæ coletur per manicam Hippocratis, si quid forte crassius ascenderit. Hic autem stillatitius liquor non eo præfertur ceteris, quòd magis adstringat, sed quia ob tenuitatem celerius ac vlterius penetret; nam adstringentia in materia crassiore viam sibi præcludunt. Ex cornu autem, margaritis, corallis & huiusmodi, cum nihil elici, aut certe parum putem absq. illis, mea sententia, fieri destillatio non incommodè posset.

Ad phtisim seu tabem.

AD febres ipsi morbo perpetuas comites, & defluxiones sistēdas, Montagnana vtebatur aqua violacea, & portulacæ ad vnc.4. addito præsertim sirupo violaceo aut vino granatorū dulcium; non negligenda tamen est stomachi imbecillitas. ad restituēdos autem tabidos accipiunt aquæ stillatitię è cancris fluuiatilibus vnc 2. aquæ stillatitiæ è carnibus capi, qui octo diebus nutritus fuerit pastillis è farina ordei, cum puluere foliorum symphyti minoris, vnciam; exhibentq. duabus tribusue ante cibum horis. Probant item aquam stillatitiam è testibus hædorum, seu veruecum, ac vitulorum, qua in omni cibo ac potu vtantur tabidi. Alijs sic paratur. Conseruæ borraginis, violarum, rosarum, cuiusq. vnc.1.s. conseruæ ireos, helenij, singul. vnc s. elect. de gēmis sine speciebus, diarhodon abb. triasantali absq. caphura, dia marg. frigidi, cuiusq. drach.2. margaritarum perforatarum, corallorum, succini, singulorum drachma, passularum, ficuū, myxorum, glycyrrhizæ cuiusq. drach.6. nucleorum pinus, amigd. singul. vnc.s. gummi tragacanthi, gummi arabici, cuiusq. drachm. 2. sem. anisi, fœniculi, vrticæ, quatuor sem. communium frigid. semin. papaueris albi, singul. drachma; sigilli lemnij, boli armeni; rosarum siccarum, cuiusq. drachm.3. aquarum stillatitiarum. Pimpinellæ, tussillaginis, singul. vnc.4. decoctionis limacum, cancrorum, duarum iuuenum gallinarum, cuiusque libram, cum carnibus vnius capi, iuuenis, pinguis; vnius item perdicis, mica panis in vino odorato infusi, & libra sacchari albissimi, fiat destillatio. Aqua item ex petroselini, helenij, & altheę radicibus, si cuiusque

iusque libram accipientes cum saccharo zulapium conficiatur, plurimum confert; modus est, vt quolibet die, tribus ante cibũ horis quatuor vnciæ sumantur. Valentior redditur, si antea, in ip sis ebullierint gummi arabici, tragacanthæ cuiusq. drac.3. amyli. vnc.s. glycyrrhizæ vncia, deinde fiat zulapium.

Ad tussim.

AQua e radicibus althææ cum aqua anguriæ, ad vnc.3. mane exhibita: erit autem efficacior si portio sirupi violacei, aut e glycyrrhiza addatur. facit & ad anhelitus difficultatem. Item Hisopi, saturciam prassi helenij, iridis lucistici, saluiæ, betonicę folioꝝ trifolij purpureum florem ferentis cuiusq. libram: Vino potenti per diem ac noctem infunduntur, sicvt duobus digitis in vitria cucurbita supernatet vinum, & destillentur. Sputũ humoresq. refrenat.

Ad pleuretim.

AQua stillatitia e carduo benedicto; item ex herba & radice pimpinellæ, acetosę, prunellarum cum radicibus destillatarum, ad vnc.4. mane; quoniam autem est in his, Galeno teste, vna salus, virium robur, idcirco viribus tuendis stillatitios liquores exhibent, vti supra in tabidis diximus; calidioribus tamen & ijs quę adstringunt, reiectis, additaq. scabiosa, violis, bugolossa, borragine, calendula, & modico hyssopi.

Ad pulmonis inflammationes.

AQua lenticulę palustris, bibita.

Ad parulentas excreationes.

AQua hederę ad vnc.4. calens bibita, quater, singulis diebus, optimè facit.

Ad Asthmaticos.

AQua radicum helenij,& tussilaginis,ad unc.5. cum saccharo. Item aqua è sampsuco ad unc.3. cum uncia aquę è brassica, adiecto saccharo,mane pota, quibusdam probatur.

Ad defectum Animi.

IN actu syncopis,aqua stillatitia è pullis, cum modico vini odorati, & puluere è margaritis,zedoaria, moscho & ambra. Aqua melissopylli,buglossę,foliorum ozimi, quę maximè probatur. Foliorum & florum croci, si pręsertim ad eius unc.2. addantur moschi gr.4. a quacumq. enim causa ortum habeat, plurimum iuuare,& experientia, & grauissimorum auctorum testimonio constat, Montagnanę potissimum;qui tamen ea de moscho odorato scribit, quę essent de muscho arboreo scribenda, non enim moschum Dioscorides nouit. Aqua e spica, uel lauandula pota & odorata. Idem phyllitidis pota.

Ad calidius cordis temperamentum.

AVctor est in arte parua Galenus, cap.29. si in corde plurimũ calor exuperet, hominem efficere pręcipitem, acerbum, & iracũdum,parereq. insanam temeritatem;atq. id eo magis, quo vehemenitor caliditas fuerit, & cum siccitate coniuncta, cerebrumq. calidius accesserit: Neq. tamen id mirum, quando ipse, libro ad id scripto. doceat, animi propensiones sequi temperamentum corporis:Hinc peruicacia,iracundia,ferocitas,temeritas,& cetera id genus, quę in filijs & vxoribus nonnunquam mirum in modum plerosque excruciant. Itaq. post detractum admodum copiosum sanguinem, & vacuatis,uel elleboro, humoribus, ac perforato quandoq. ex Alberti magni sententia, osse crani,sanguinem asini destilla,& in potu exhibe. Item cape plures turtures,& decollato; sanguinem,iecur, caput, & cor destilla,& prębe ad potandum vnà cum ossibus capitum tritis. Aliud; Palmę,maris, & fęminę, radices simul destilla, & bibatur aqua.

Rursus

Rursus sanguinem tuum destilla, & in potu dato; Conciliare.n. præterea amorem dicitur: quod ob sympathiam forte non erit omnino impossibile: tametsi videas multos, cum sanguine matris geniti aliiq. fuerint, eas tamen non amare, plerosq. odio habere. Sunt qui elisas medullas, & destillatas conciliare itidem in hominibus amorem tradant.

Caliditatem adscititiam cordis remouere possunt stillatitiæ aquæ, quibus in epitmatibus passim utimur, acetosæ, endiuiæ, rosarum, & huiusmodi.

Ad mammarum inflammationes.

AQVA santiculæ palustris pota, & foris, linteis madentibus adhibita, quæ & omnibus prodest inflammationibus.

Ad mammas cohibendas ne nimis augeantur, & ad laxas, procidentesq. contrahendas.

AQVA è pineis nucibus immaturis, linteis, foris apposita; idem aqua stellariæ, cum hypocystide: eadem hæc locos muliebres adstrigunt; sic ut earum diutina iniectione corruptæ ab incorruptis dignosci uix possint.

Ad ventriculi dolores.

ALBVCASIS in dolore stomachi, calidiore præsertim, narcoticon præscribit, adeoq. celebrat, ut appellet remedium nulli aperiendum; habet autem opij vnciam; cum duobus alliorum capitibus; quassantur, & fit destillatio ex elembicco, cuius aquæ modicum bibitur, asserit lib. 3. institutionum chirurg. medicus insignis Iacobus Hollerius, dari omnibus internis doloribus, per se, demenso cochleari, aut cum vino. Alij opio, quadruplam theriacam permiscent, & dant alambicco; eadem ratione poterimus opio commiscere res stomacho cōducibiles, qualia sunt absinthium, mentha, mastiche, & huiusmodi, atque inde aquam elicere. Plurimus autem fuit in his doloribus narcoticorum vsus, veteribus medicis, vti ex Galeno 8. de compos. med. sec. locos, cognosci potest. In frigido dolore, qui uno in loco

ne quaquam figatur, Guainarius ardentem aquam adhibitam linteis madentibus mirificè prodesse, expertus testatur; ego & bibitam vidi prodesse, cum a flatibus aut tenuiore, modicaq. materia ducit originem. Aqua etiam chamæmeli ad vnc.5.cum nucis myristicæ vnc.5.egregiè iuuat.in mulieribus autem aqua matricariæ ad vnc.2. in qua nonnihil spicæ & iunci odorati efferbuerit, optima habetur.

Ad stomachi abscessus.

EXperientia comprobatum scribit Benedictus Victorius aquę chamæmeli stillatitiæ vnc. 6. cæptum stomachi abscessum curare, si quolibet mane, stomacho ieiuno bibantur.

Ad concoctionem adiuuandam.

DEstillatio mali medici optimè stomachum roborat, illiq. conducit, & vires restituit, cum sit suauissima; destillatur balneo mariæ, vitreis vasis, prius tyrocnesti comminutum, veluti caseus, seminibus etiam confractis. Aquam è floribus rosmarini maximè probat Petrus Aponensis. Sunt qui è cochleis aquam, cum aqua cinamomi mixtam plurimum laudent.

Ad singultum.

AQVA è phyllitide pota. Item è mentha.

Ad lac, & sanguinem in stomacho concretum.

AQua è cyclamino, cum saccharo, pota. Item oleum è chalcantho cum eadem aqua.

Ad iecinoris obstructiones.

AQua Gentianæ, pota. Item è folijs raphani, & è cassutha. Humores autem è gibbo epatis detrahit aqua altheæ, vt grauissimus medicus Franciscus è pedemontium de iecinoris affe-

ctibus

ctibus scribens, affirmat. Aqua item è chelidonio, cum aqua e melle, in potu exhibita vehementer probatur, neque iniuria, quã do lib.9. de comp.med.sec loc. ab Archigene componatur chelidonij succus cum mulsa ad auriginem ex obstructione hepatis. Sed hi stillatitij liquores ob tenuitatem magis penetrant, vt sæpe diximus, affirmatq. Galenus de castorio loquens lib.10. de simpl. med. facult. quoniam enim (inquit) castorium tenuium est partium, ob id plus valet, quàm alia, quæ similiter ut ipsum, & calfaciunt, & desiccant. Nam quæ tenuium sunt partium medicamenta, ijs, quæ sunt crassarum, plus sunt efficacia, etiam si parem sortita fuerint facultatem, nimirum quia penetrent, & in altum subeant admotorum corporum, potissimum si ea densa fuerint, velut neruacea.

Ad iecinoris imbecillitatem.

MArcus Gatiuaria præpurgato corpore plurimum laudat aquam è limacibus, ad vnc.6. in aurora ebibitam. Idem facit oleum ferri, si eius drachma, cum aqua agrimoniæ vel cichorij bibatur; quod & ad infarctus adhibetur magna utilitate.

Ad hydropem.

AQua è stercore humano maxime quibusdam probatur. Itẽ aqua e radicibus sambuci ad quattuor vnc. vna cum duabus vncijs aquæ e radicibus ebulorum potata per quadraginta perpetuos dies. Idem facit aqua e medio cortice sambuci; vacuat enim & digerit; laudatur quoque aqua extillata e purpureis floribus ireos, exhibita ad drach.6. vel 8. cum scrup. elect. triasantal. & gr.8. cinamomi; educit enim aquam vehementer. Probãt item aquã ex hal cacabo, floribus ebuli & sambuci, smilace hortensi, iunipero, raphano, cassuta, sic tamen vt illis aliquid iecinori conducens misceatur, cuiusmodi sunt triasantal; iuncus odoratus, & huiusmodi; ne iecur medicamento lædatur. Mirificè alij extollunt aquam e virentibus nucibus iuglandibus stilla titiam, si ad vnc.2. manc, cum modico vini albi, & tartari crudi drachma bibatur per mensem.

ex seminibus, flatum discutere valentibus, aromatisq. per destillationem extracta: potissimum ubi a flatibus originem dolores duxerint, & frigida adfuerit, ventriculi, aut intestinorum temperies. idem aqua è cinamomo, pręsertim si modicum theriacæ veteris adijciatur, facit.

Ad dysentericos.

AQVA è floribus ligustri, in potu; item e folijs quercus & ex aparine, pota.

Ad cohibendam Aluum.

AQua plantaginis, acetosæ, tormentillæ, verbasci, præsertim si extinctus sit in ea chalbs; e nucibus cupressi recentibus, frondium quercus teneriorum, symphyti maioris, arnoglossę, ad vnc. 5. cum sacchari candi vnc. 5. mane per dies decem.

Ad teretes intestinorum tineas.

AQua e radicibus gentianæ, e floribus prunellarum, potui data. Item, thus, myrrha, aloes, æquis portionibus, vitreis vasis destillet, oleoq. quod elicitur, carporũ pulsus, aures, stomachus, & mammæ illinantur, fricenturq. per quartam horæ partem. Sũt qui aqua e folijs persici, præclaro euentu, vtantur.

Ad renum calculos, & arenulas.

AVicenna laudat aquam leporis, quam stillatitiam interpretatur Gentilis Fulginas, asseritq. Auicenna esse eam vehementis iuuamenti, & resolutionis; quod & Antonius Guainerius probat; licet Andreas Alpagus Bellunensis correxerit locum non de lepore, sed de cicendula, quæ noctu lucet, intelligens, nullo de aqua verbo facto. Sauonarola de aqua ardentẽ scribens, calculo e renibus deturbando, hanc putauit aquam plurimum conducere, si acceperimus radicem asparagorum, rusci, fœniculi, petroselini, raphani, eryngij, milij solis, semen genistæ, endiuiæ,

seridis, seu seriolæ, adiantumque & minutim incisa ac contusa, octo horis, in aqua ardente, bis destillata, macerentur, mox leui igne extillentur; maiorem autem vim adscribit illi, quam Thadæus Florentinus præscripsit, cuius, cum de vino loqueremur, supra meminimus. Hanc alij destillationem laudant; Rhodomellis, resinæ terebinthinæ, cuiusque libra; zizyphorum, myxorum, nucleorum pineorum cuiusq. vnc. 4. granorum halicacabi, sem. cucumeris, apij, melanthij singul. unc. 2. succi raphani defæcati lib. 2. semina, & reliqua solidior materia teratur, omnibusq. mixtis in cucurbita vitrea, destillet liquor; qui ut efficacius agat, in eius vnc. 3. dissoluatur eorum aliquid, quæ à tota substantia calculum excludunt, vti puluis scorpionum, scarabeorum, lapillorum astacinorum, hyrundinum, & huiusmodi. Probatur nonnullis aqua è caryophyllis syluestribus, qui in summis montium iugis nascuntur; item aqua è polygono, cum modica portione lapidis inuenti in renibus. Sunt qui è sambuci floribus, cerasorum ossibus, nucles persicorum, & amigdalis amaris leuiter contusis, & vino albo optimo, per noctem maceratis, aquam eliciant, cuius quatuor vnciæ, maximo successu, exhibentur. Alij ad ea quæ dicta sunt, addunt flores lambruscæ, gramen, & quinquefolium. Aqua item è tenellis folijs quercus, è genista, è stercore humano, è radice anonidis, pota; hæc autem sic elicitur, cortices radicum anonidis recentium ad quatuor libras, minutim concisi, macerantur in lib. 8. vini cretici, inde tepente balneo aqua destillat; neq. verò solum efficax est, bibita, ad frangendos deturbandosq. calculos renum, & lotium ciendum, sed vesicæ stomachum lentis, crassisq. humoribus expedit. Petrus Bembus cardinalis, vir eloquentia clarissimus, ad arenulas nihil se reperisse melius testatur, assiduo vsu aquæ stillatitiæ ex eupatorio Græcorum, quòd satis constat vulgarem esse agrimoniam. Olei è chalcantho drachma, cum vncia vini cretici maximè laudatur, suppresso præsertim lotio. idem facit oleum tartari, de quo diximus. Sunt tamen qui scrupulum olei chalcanthi non transcendunt, quos magis probo; neque enim temerè audax, primo statim ingressu, in huiusmodi medicamentis fuerim.

Ad uesicæ calculos frangendos.

VT vesicæ calculus frangatur, multi varia liquorum stillatiorum genera descripserunt, in quibus Thadæus Florentinus, eam aquã docuit, quam supra de vino verba facientes, scripsimus. Nonnulli è cepis albis aquam nouem diebus bibitam miris efferunt laudibus. Alij è filipendulę vnc.6. radicũ acori vnc.3. saxifragiæ cum radicibus lib.4. igne leui aquam eliciunt, & magno arcano vtuntur; nec desunt, qui è succi saxifragiæ lib.2. succi millefolij, & petroselini, cuiusq. libra, aceti modico, aquam destillent, terq. die sumendam iubeant; pleriq. loco millefolij ponunt ricinum. Sunt & qui aquam e bubulo stercore, mense Maio destillent, eamq. cum vino præbeant, in quo infusa raphani radix fuerit. Sed in ijs, dicebat, præstantissimus eruditione, & praxi medicus, Victor Trincatijs, vrbe numerosissima, numquam tamen uidisse, aut ab intelligente, & probatæ fidei viro audiuisse, fuisse unquam lapidem in vesica, vi medicamentorum attritum, aut comminutum, quando iam induruit, & ad aliquam alicuius momenti magnitudinem deuenerit. legi quidem, inquit, in libris medicorum tum antiquorum, tum recentiorum multa descripta medicamenta, tam simplicia, quam composita, quæ tamquam potentia lapidem frangere vesicæ, laudantur, sed nihil, vel exiguum admodum, eorum quæ pollicentur, prçstant. Itaque propius accessisse videtur Cardanus, qui libro de subtilitate. 2. per catheteram. seu fistullam immitti in uesicam, aquam, quæ debet frangere lapidem, iubet; sic enim longa via, medicamenti vis non refrangitur. Sed si Cardanus ita ipsam descripsisset aquam; ut eius condiciones nouit, ut scilicet vesicæ sit innoxia, & lapidem comminuat nihil præterea desideraremus, quã quam enim extremos vapores destillatione colligemus ex scorpionum cinere, vel Macedonici petroselini, vel recolitho, aut lapidibus cancrorum, vix tamen fieri posse puto, vt lapis atteratur; quod videtur & ipse postea Cardanus asserere, cum scribit, metallicum esse oportere id, quod lapidẽ comminuit, aut ad metalli naturã mutatum; licet neq. id omnino necessariũ putẽ. quòd si ea aqua stillatitia lapis forte atteratur, cum id admodum acre futurum ipsa doceat, calidissimumq. ac siccissimum ut penetret,

ac fecet, vesicæ etiam nocebit. Scribit tamen idem Card. se audi uisse, inuentam a quodam Genuense, sed denuò amissam morte illius, qui eam notam nemini facere voluit.

Ad ciendam remorantem vrinam.

VRtica & formicarum oua simul destillantur. alij oleum ex ouis formicarum cum urtica destillant, & renum vesicæq. regionem illinunt. Aliqui accipiunt grana halicacabi circiter duodecim; se papaueris albi, cucumeris, melonum, cuiusq. vnc. 5. saccharum ad pondus omnium; molli pruna destillant aquam quæ prodest, potissimum cum adest ardor: quod si materiæ crassiores sint, aquam exhibent, quæ destillauerit è radice, folijs, floribusque ac fructu personatæ: qua etiam vtuntur flatibus discutiendis. Sunt qui semine personatæ, ad lçuorem tuso, & cribrato, remorantem vrinam, magno apud ipsos arcano. ciciant.

Ad vesicæ vlcera.

AQua symphiti minoris, aut foliorum cupressi ad vnc. 4. pota: expurgat autem vehementer vias urinæ vbi sunt vlcera, aqua è radicibus ireos; tuetur ne vlcus in vijs illis gignatur, aqua tragacanthę, & myxorum. Aqua item apij, & longè efficacius aqua ex adianto, & aspa ragis, è folijsq. hyperici.

Ad vrinæ ardores.

AQua è lactuca, nymphęa, papauere recenti, portulaca, violis, anguria, acres remittit qualitates humorum aqua ex halicabo, & radicibus, & folijs althęę, vias expurgat lotij; laudantur a multis aquæ stillatitiæ ex floribus & scaphis fabarum virentibus, ad balneum Marię eductis, quæ simul & ardorem demulcent, & vrinas prouocant. Aqua pariter rosacea quocunq. modo sūpta, aut in obsonijs, aut in potu. Item aqua foliorum querni si ardor a potu cantharidarum oriatur; aqua ex equiseto prodest. item è radicibus altheæ, maluę, & radicis, pota.

Ad seminis profluuium.

ACetum stillatitium cum acore citri.

Ad uteri strangulatus.

BAlsamum Petri Aponensis, de quo suo loco diximus. aqua è radicibus dauci ad vnciam 5. pastinacę syluestris, & modico mellis rosacei; prodest hic potus, & curando, & præcauendo.

Ad partus difficultatem.

AQua è lilijs albis, pota, quę & secundas pellit, præsertim cum croco, & cinamomo.

Ad menses ducendos.

AQua è rubia infectorum, ex adianto, & infinita prope id genus, bibita.

Ad menses albos cohibendos.

AQua e folijs tenerioribus quercus, sæpe bibita, uti Mathiolus tradit. Item ex stellaria; ex parthenio, seu vchuen, ad vnc. 4. per triginta, aut quadraginta perpetuos dies; emundat enim & abluendo educit, detergitq. vias iecinoris, renum, uesicæ, & vteri, uti grauissimus auctor Montagnana testatur. Aqua item e potentilla, cum eiusdem præsertim herbæ & eboris, & corallorum puluere bibita.

Ad prohibendum abortum.

AQua e nucibus cupresſi recentibus, cum aqua menthæ, & symphiti minoris, si cuiusq. vncia, cum saccharo bibatur mane, sub auroram.

Ad podagram.

IN calidiore materia, e ranis viuentibus centum, ducentũue vitrea cucurbita, & rostrato pilao, destillet aqua, qua lintei madentes, loco affecto superponuntur, non absque medici consilio, ne nimis repellat. Idē facere creditur aqua ex hirudinibus stillatitia, eas tamen hirudines plerią. antea fimo equino diebus aliquot macerant, quod frigiditatem liquoris minuit. In tophaceis autem frigidisq. tumoribus podagræ, & arthritidis, plerique vtuntur aqua è stibio, & argento viuo sublimato stillatitia, qua tumores tangunt, exulcerant, attenuant, & dissoluunt; quod remedij genus, vt in nonnullis egregiè successit, ita alijs nihil attulit, præter dolores, atque vlcera. Melius faciet ad mulcendos dolores, iuuandumq. morbum, liquor ex assis ouorum luteis, & pyrethro stillatitius: cui etiam nonnulli addentes oleũ e castoreo, ladani parum, & thuris, iterum omnia destillant: mox fæcibus affundunt, & destillant; atque id quater aut quinquies: quò enim sæpius, eo efficacius, tenuiusq. oleum redditur. Andernacus oleũ ex Ammoniaco thymiamatæ, ad podagricos tophos laudat.

Ad articulorum dolores.

IN arthritide diuturna, pleriq. miris laudibus extollunt aquã stillatitiam chamædryos, seu humilis quercus, eiusq. cyathũ, purgatione tamen præmissa, tribus ante prandium horis, mane præbendum iubent, licet interea eò magis à medicamento sperandum esse addatur, quò eius potus prandium diutius antecesserit. In ratione victus à salsis, accidisq. abstinendum censent; & hic potus ad sexaginta dies præscribitur. Quamquam Andreas Vesalius, summus anatomicus, epistola ad Ioachinum Roelants, magis probet decoctum eiusdem herbæ in vino albo, pari ut dictum est, ratione propinatum: ridetq. eorum opinionem, qui putant idem posse liquorem stillatitium, quod decoctum in vino; adeò imbecillas reddi vires destillatione putat. Hoc remediũ instar numinis cuiusdam à Genuensinm primatibus missum, scribit idem Vesalius, & non sine maximis promissis, ad perpetuum

morbi

morbi articularis exilium, ante menses aliquot commendatum, Marsilio Collæ, Cæsarianis equis Præfecto, deinde etiam Carolo V. Cæsari Augusto. Melius faciet opportunè adhibitum Balsamum, & oleum quod destillat ex rasinæ terebintinæ libra, opapanacis, chalbanes, sagapeni, cuiusq. unc. 5. granorum iuniperi quantum bis capi manu potest, thymiamatis libra. igne primum leui, mox auctiore, tandem uehementi; laudant etiam plerique aquam e centaurio minore, & cucumere siyluestri, mane ad vnc. 5. potam.

Ad tertianas febres, & quotidianas, & compositas.

AQua e radicibus Gentianæ, bibita, inclinante morbo. Item e pimpinella.

Ad quartanas.

AQua e flammula, e folijs eringij, cum sunt teneræ e gentianæ radicibus. Sunt qui experimento probatum scribunt, stillatitiæ è rosis aquæ ciathum, si quando frigore arripi ac tentari ægrotus ceperit, bibatur.

Ad assiduas.

AQua e trifolio acetoso, hausta. atq. hęc omnia suis loco, & tempore, non absq. medici consilio.

Ad ethicam.

PRosunt ea quæ restituunt substantiam, & alunt, cuiusmodi est, si acceperimus gallos nondum coeuntes, aut pullos, per dicesue, capos, phasianos, aues rurales, vel carnes testudinum nemoralium, & visceribus detractis, cum aqua, ex ijs quæ frigefaciunt, & humectant, aliqua, optimè abluantur, inde destillet aqua, e qua, saccharo addito, zulapiū poteris conficere: melius tamen fuerit ad has e carnibus stillatitias aquas, tertiam partem

ptè obstructio, & putredo fit, ac præter naturam color augetur, potissimum hectica febre laborantibus, in quibus nedum concoctio, verùm etiam distributio imbecilla est. At si dixerint, non tam cochlearum substantiam, sed earum tenuiorem succū, ignis artificio extractum, conducere, dicimus nos, & hunc quoq. difficilem concoctu esse, quod ex earum substantia trahatur, quæ talis est naturę, tum vel maximè, quod ab eis crudis, quæ esculenta non sunt, extrahatur; quamobrem promptius aluum soluere, quàm eos nutrire poterit. Hæc Altimarus, qui deinde probat stillatitium liquorem ex pullorum, gallinarum, caponum, seu phasianorum carnibus contusis, adiectis etiam testudinibus nemoralibus, buglossi, oxalidis, & lactucæ folijs, seu endiuiæ, minutim incisis, nec non & pomis dulcibus quibusdam. Multi tamen doctissimi viri, succum cochlearum ignis vi coctum, quodq. maius est, in halitus extenuatum, tametsi a crudis ipsis trahatur, probāt, cum tolli videantur coctione, extenuationeq. omnia, de quibus disputat, incommoda; & satis pateat, stomacho imbecillo roborando, cochleas præberi; scribitque Dioscorides stomacho illas vtiles esse; marinasq. quas ego potissimum acceperim, & stomacho idoneas, & facile aluo excerni: viuarumque corpora, cum aceto deuorata, stomachi dolores mitigare; & pleriq. grauissimi Medici in stomachi imbecillitate, eas, saccharo, cum testudinū carne, & stomachis auium condita, magno successu præbent; recentioribus tamē, quod & plerique omnes faciunt, abstinerem. Huius socium sententiæ habeo clarissimum, variaque & insigni eruditione præditum Hieronymum Mercurialem Foroliuiensē, qui iamdiu summo loco, summaq. laude, Medicinæ praxim in Gymnasio Patauino profitetur.

Ad pestilentes febres, & uenena.

AQVA è folijs quercus tenerioribus, è floribus arantiorum, e lenticula palustri, pota. Item e floribus lini, si modico saccharo condiatur, sudores enim mouet, & in superficiem corporis materiam adigit, in pestichijs, variolis, ac morbillis admodū conducens. Alijs aqua è papauere rhæade, seu erratico destillata, bibitur. Pleriq. è succis scordis, acetosç, rutæ caprarię, citri, modica addita theriaca, stillatitia per balneum aqua utuntur. Verū

ea

ea mihi semper placuit,quã Guainerius spiritus gignere scripsit, eosq. clariores reddere,roborare viscera,adeoq.firmare , vt nullo vnquam tempore pestilentię virus recipiant;mirandum enim in modum venenis resistit : quamquam ob calidiora : quæ recipit, præcauendæ potius quam curandæ pestilentiæ exhibenda videatur: ea autem capit radicum tormentillæ recentis libram, radicum herbę tunici,& dictamni, cuiusq. lib.5 helenij campani vnc.4.oxalidis cum seminibus lib.2. foliorum ac florum borraginis,buglossæ,rosarum rubearum syluestrium,cuiusq.libram theriacæ optimę lib. 5. pimpinellæ,scabiosæ,sing.lib.5. succi limonum libram,aquæ ardentis ex optimo vino, & sæpius destillatæ vnc.2.vel vt alij legunt lib.2. sigilli Lemnij, boli armeni cuiusq.vnc.2.santalorum alborum,rubeorum, spodij, behen albi, rubei,margaritarum splendidarum , singulorum vnc. 1. s. ossis è corde cerui vnciam,rasurę eboris vnc.s.croci drach. 3. caphuræ drach.2.foliorum auri vnc. s. Folia auri minutim forfice incisa, vel melle in porphyrite lapide, diligenter,& diu agitata, nam in tenuissimum puluerem redigentur ; in aqua ardente, cucurbita optime clausa per dies quindecim macerentur. Margaritæ tenui ter tritę in alia cucurbita ponantur, cum succo limonum, totidem diebus, optimè item clausa.Radices generoso vino abluantur,inde siccatę in vmbra,in mortario terantur, & similiter herbę,flores, & semina;omnia tamen in vase terreo vitro oblinito, sed, mea sententia,melius fuerit, vitreo, cum theriaca misceas, addasq. ardentem aquam cum auri folijs, & succum limonum cum margaritis;Mox fossa tribus pedibus profunda facta, in cuius sit fundo,ad dimidium pedem, calx viua,in cuius medio vas optimè clausum ne respiret, equino fimo circumdatum & contectum locato,affunditoq.duas aquę situlas: maneat ibidem per duodecim dies,singulis tribus quatuorùe diebus , mutato fimo . Postea omnibus in vitream cucurbitam transfusis , apposito rostrato pileo, stipatisq.accuratè rimis , igne leui , aquam elicias, quam denuo secibus affundas, & destilles ; tertiò uerò absq. fæcibus in cucurbita colloces, & rursus tepente balneo destillato, seruatoq.vitreo vase optimè clausam.Huius cochlear satis paruũ exhibetur.Horatius Augenius,doctissimo suo, de pestilentia prę cauenda,libro,auctor est, Sebastianum paparellam, medicũ eloquentia,& ingenio clarum,dicere consuesse, in pestilentia , quæ anno 1527. viguit. admirabiles vidisse huius aquę effectiones,
non

non in sanis tantùm, sed & in ægrotis: & plerosque eam magno arcano habuisse, professosq. fuisse se omnes ipsa sanaturos, cum auro præsertim potabili, vt Guainerius, & Augenius aiūt, mixta. Præstantissima etiam habetur, Matthioli aqua Theriacalis, præstā tissima, ab eo descripta initio lib. 6. Dioscorides, qua multos a vi pera & alijs venenatis animalibus demorsos, morti propinquos, sanasse scribit. Sunt qui aquam è nucibus virentibus stillatitiam, atq. item è folijs persici, nec non è vincetoxico, & è cortice inte- riore fraxini cum tribus vncijs vini albi, potam tribus quibusq. horis, vehementer laudent: alij verò hoc modo conficiunt. Nu ces recentes 35. radicum helenij, tormentillæ, chamęleonis albi; zedoariæ, cuiusq. vnc. 2. foliorum, seminis, & radicum cardui be- nedicti lib. 5. scabiosæ, hyperici, rutę, sing. pug. 5. cinamomi, ca- ryophyllorum, macis, cuiusq. vnc. 5. calthę seu calendulæ, dictam ni, sing. pug. 2. radicū borraginis, buglossę, oxalidis, cuiusq. vnc. 1. s. terantur, quę terenda sunt, omnibusq. affundantur aquę ardē- tis optimę lib. 8. vini cretici lib. 7. atq. vbi macerata fuerint, ore diligenter clauso, per decem dies, inde aqua igne leui extillet, re petita ter destillatione, fæcibus semper extillatam aquam, affun- dendo: quarta vice, reiectis fęcibus, earum loco ponantur, The- riacæ optimæ lib. 5. mithridati optimi vnc. 3. sacchari e rosis, è boragine, è nymphæa, è violis, cuiusq. vnciam. inde destillet li- quor, cuius, æstate, vnc. 2. cum vnc. 4. aquæ oxalidis; hieme vero vnc. 3. cum vnc. 4. iuris pulli, præberi possunt, sic tamen vt ne ętа- tis, temperamenti, ac ceterarum huiusmodi rerum, ratio præter- mittatur; laudant aliqui aquam è floribus arantiorum. Hæc autē omnia venenis quoq. optimè aduersantur. Plures huius generis stillatitię aquæ in libris quibusdam vulgatis empiricorum legun tur, qui in hac causa, nequaquam, meo iudicio, omnino negli- gendi sunt, nam si qua in re, in hac potissimum, verum illud esse videtur, quod scribitur, nullum esse librum tam malum, quin ali qua ex parte prosit, experientia enim plurimum in re medica va- lens, magnas sibi vendicat vires in pestilentibus morbis, quorum cum abditę sint caussæ, nobisq. non satis explicatę, eorum quoq. curandorum ratio ab occultis rerum facultatibus, quas sola at- tingit experientia, petitur. Ad hæc accedit, medicos pręstantio- res haud facilè pestilentia correptos inuisere, at quò sunt doctio res, eò cautiores videntur, ne perniciosæ contagionis sese peri- culo exponant; quamobrem efficitur, vt ægroti, chyrurgorum,

&

& barbitonsorum,empiricorumq. quorundam, qui in his audaciores sunt,auxilio relinquantur. & fuere ęgrotantes, qui omni humana ope destituti,quicquid casus obtulerit, per os assumentes,aut ad affectum locum adhibentes, eam, quam assecuti sunt, sanitatem,alios,vt assequi eadem ratione possent,docuerint.Itaque nihil est contemnendum,sed quando ita & magnitudo morbi,& symptomatum diuersitas postulat, discutienda, tentandaq. omnia,ipsorumq. medicamentorum,quæ in vsu sunt,discussio, patefacere ad alia viam, pôtest, alioqui vetum est, quod scribit in 6. Lucretius, mussare in his morbis tacito medicinam metu, quodq.in sua pestilentia ait Thucidides; Medicos omnium primos obijsse. Ad erodentia venena hęc descriptio facit, quę habet, theriacę vnc.2.condit. helenij, ireos, cuiusq.vnciam, succi baccarum lauri, iuniperi, succi betonicæ,centaurij minoris,verbasci, marrubij cuiusq. vnc.3.florum nympheæ,violarum, corticum rad. mandragoræ,sem.alterici albi,sing.vnciam,opij vnc. 2.excepta elembicco,artificio resoluuntur, sed melius in diplomatis; neq.solum prodest,veneno lęsis, quę vrant corpus, sed & internis doloribus, qui cum febre cruciant;sunt qui addant butyri stillatitij parum. Ad venenum autem quod exitialem longo molitur tempore morbum, & è cerussa,cerugine, linthargyro, minio,succo scillę,& hominis sudore malefici conficiunt, facit egregiè aqua stillatitia è columbacco stercore, corticibus ouorum,pipere ac thure, cum lixiuio è sarmentitio cinere,commixtis;macies autem pellitur aqua stillatitia ex herba personata, & nucleis pineis.

Ad vlcera maligna.

Ex thuris masculi, sarcocollæ,singulorum vncia,aloes epaticæ drach.6.succi plantaginis, mellis optimi,resinę pinus alb.cuiusq.drachm.3.optimè contusis ac mixtis, vitreo vase destillet aqua,igne leui, nè materia ascendat, qua liquor stillatitius turbaretur; quòd si tumescat, linteis frigida madentibus cucurbita inuoluitur, vt descendat. Hac aqua ingens fuit putredo, in humero adolescentis, coercita, quem plerique medici amputare decreuerant. cum ad finem est destillatio, aquæ color mutatur,quamobrem & vas recipiens mutandum, nam aqua colora-

ta

ta medicus ille non vtebatur. Fæces in puluerem redactæ, & ulceribus impositæ plurimum prosunt. Item aqua è stercore humano, prodest: Ioannes Tagaultius, lib. 3. Institut. chirurg. ita scribit. Aqua fortis Alchymistarum, saltem prima, in tortuosis, atq. labyrinthi modo flexuosis fistulis, mirifice prodest. Hoc enim (inquit Guido e sententia Arnaldi à Villanoua) omnes fistulas mortificat & disrumpit. Quidam etiam fuere empirici, qui aqua e saccari optimi vncia, terebinthinæ drach. 6. resinæ pinus vnc. sem. aquæ ardentis vnc. 2. stillatitia, vlcera abluentes, vbi non adesset inflammationis periculum, mirabili successu curabant.

Ad carcinomata.

E Plantagine maiore, chelidonio, & virga pastoris, aquam plerique eliciunt, admixtoq. cochlearum puluere, morbum madefaciunt. Item ex vrtica, cum eiusdem puluere, & galiopsis. Item aqua e stercore humano.

Ad recentia vulnera.

AQVA e barbula hirci, si ea splenijs, & attritis linteolis super ponatur. Idem aqua ex eupatorio, seu agrimonia uocato, sed longe efficacior puluis, cum in ulceribus inueteratis.

Ad vulnera intestinorum.

AQua e radicibus cyclamini cum saccharo hausta.

Ad morbum Gallicum.

ACCIPE caryophyllorum, cinamomi, cuiusq. vnc. 2. colocynthidos, vncjam; nucem vnam myristicam, eaq. omnia in puluerem redacta, raroq. linteo inuoluta, bulliant in vini albi optimi vnc. 8. aquæ fontis purissimæ vnc. 4 ad consumptionem medietats, clausis optimè rimis, foramine in summo operculi recluso, quo respirare possit. Vbi refrixit, expresso in vinum linteo adde ligni guaiaci, incisi, lib. 5. macereturq. horis 24. mox destil-

let, igne leui, aqua, qua tumores a Gallica lue, madescat, purgatò prius corpore. & si robore uirium ualido ægrotus fuerit, sumat mane ad duas uncias, sin infirmus, unam. Hoc eodem modo utere ad hydropem, & ad uenena; sudorem enim ciet; nequet admodum exquisitam postulat victus rationem. Pari methodo huius, quæ sequitur, aquæ vsus est. sem. ebuli in pulu. redac. olei sulph. vel chalcanthi, sing. vnc. aquæ ardentis vnc, 3. fœniculi, petroselini, amborum cum radicibus æquas partes; asparagorum recentium cum radicibus, duplum, vitreis organis lentissimo igne destillet aqua, in cuius libra dissolue vnc. 3. sacchari candi; mane, quantum capere cortex nucis potest, ex hac aqua, & tantundem superioris, ardentis, sumitur, & per horam in lecto quiescẽdum. idq. octo diebus. admirabiles celebrant huius remedij laudes; quòd si ad viginti dies accipiatur, lapidem in vesica & renibus frangere asserunt. lieni itẽ prodest, & induratis gallici morbi tumoribus, si dolentia aut tumentia loca madescant. Ad idẽ facit, inueterato præsertim morbo, & præpurgato corpore, ꝙ habet, ligni sancti caspati vnc. 4. salsæ parillæ incisæ & contusæ vnc. 1. s. sassafras drach. 3. vini albi non dulcis lib. 2. Aquæ defecatissimæ lib. 8. Aquarum firmariæ, cichnij. chamomilæ: cuiusque libram. Polipodij quercini libr. mediam. Macerentur per horas 12. exinde accipe epithimi vnc. 2. applenij vnc. 6. sen. iuniperi vnc. 2. corticum citri vnciam, conserue rosarum, buglosse, borraginis, cichorij, cuiusq. libram mediam, conserue helenij, Theriacę vereris singul. vnc. 2. Destillans omnia simul in diplomate, postea adde saccharum & cinamomum ad saporis suauitatem. Sumat ęgrotus mane & uesperi vnc. 4. Humores fundit, et attenuat, poros apetit, sudores ciet. Iecori tamen calidiori aut epithemate, aut illitione prouidendum est. Multa alia parari solent, nam pleriq. epitymum, mirabolanos, cassutham, fumariam, polipodium, turpetum, colocynthium, stœchadem, agaricum, tamarindos, passulas, pruna, mastichem, macim, fęniculum, rosas, glycyrrhizam, buglossam, & eiusmodi complura, in vino infundunt, mox ad medietatem decoquunt, tandem destillant balneo Mariæ. Ceterùm his omisis, quæ sunt pœnè innumera, illud non omittendum censui, quod doctissimus Fracastorius, in sua Syphilide, his carminibus, quæ Vergiliana æquare creduntur, descripsit; quibus etiam & destillandi modus, & vasa, elegantissime explicantur.

Quorundam

Quorundam inuentum est, vitrei intra concaua vasis,
Cui collum oblongum est, venter turgescit in orbem,
Aut hæderæ folia, aut, Ida mittente, maniplos
Dictamni, Illyricamuè irim, Rhamniuè nigrantem
Radicem, aut inulas coquere; in sublime solutus
Effertur vapor, & tenuis vacua omnia complet.
Ast vbi frigenti occursauit ab aere vitro,
Cogitur, & rorem liquidus densatur in vdum,
Decurritq. vagis per aperta canalia riuis.
Destillantis aquæ cyatum, sub lumina prima
Luciferi, potare iubent, stratisq. parare
Sudosem; nec certe ab re, vir vtilis olli est
Relliquias morbi tenues dispergere in auras.

Ad casum capillorum.

MELLIS purioris, vini cretici, lotij puerorum, lactis, cuiusque libra; destillet aqua; abluantur loca vnde pili decidunt: efficacior hæc habetur, quæ habet hyssopi hortensis, montani, calaminthæ montanæ, foliorum abrotoni, singulorum, quantum bis capi manu potest: vini generosi cretici, lotij, mellis, lactis, cuiusque. lib. 2. sem. sinapi lib. 5. contritis, quę teri possuut, misceantur omnia, & per tres dies macerentur, mox destillet aqua, cuius vsus, inuenibus barbam cito educit ac producit, & pilos qui ceciderunt, restituit, vti Falloppius, harum auctor aquarum, testis est.

Ad strumas.

OLei laurini lib. 5. olibani, mastiches, gummi arabici, terebinthinę, singulorũ vnc. 3. destillet vitreis organis aqua, in qua cineres quercus ponas, denuoq. omnibus rectè commixtis, destillatione liquor eliciatur, quo vtere: prodest etiam acrochordonibus, & huiusmodi morbis, si ex arte adhibeatur.

Ad delenda variolarum vestigia.

MASTICHES, mirrhæ, aleos epaticæ, nardi, sanguinis draconis, olibani, opopanacis, bidellij, carpobalsami, croci, gũmi arabici, styracis liquidi, seu stactes myrrhæ, cuiusq. drachm. 2.5. terantur omnia, & cum terebinthina ad pondus omnium, destillet uitreis organis liquor. Idem facit aqua e fabis, e pedibus uituli, arietis, porcellorũ e melle, radice serpentariæ, limonibus, arantijs, floribus fabarum, corticibus ouorum. Hæc autẽ curatio fucata est, præterquam forte in pueris; non enim regenerari cutis potest, & fouea expleri; eademq. in extenuandis cicatricibus ualent, cui usui Rasis 3. ad Almansorem se ab experto nouisse ait, aquam è melle stillatitiam plurimum prodesse.

Ad decoloratam faciem.

AQVAM e citrijs ac limonibus stillatitiam, si abluatur cutis, optimè prodesse scribit Ioannes Baptista Montanus in secundam Fen, primi Auicennæ, purgato prius corpore; intelligimusq. non de naturali decoloratione, sed quæ præter naturã accidit. Abstergit autem hæc aqua cutim, & expurgat. Idem faciet aqua e floribus, uel etiam siliquis recentibus fabarum, & ex lupinis; quæ acrior & ualidior est. Item accip. siliquarum immaturarum lib. 3. mellis optimi lib. 2. Terebinthinæ lib. 5. croci unciã, macerentur omnia in uase diligenter clauso sub fimo, uel ad solẽ, per octo dies, mox addantur lactis asinini lib. 4. & statim antequã lac putrescat, nam fæteret aqua, destilletur; exibit enim aqua & oleũ; oleo illinẽda nocte cutis; aqua die abluenda; quod si nonnihil moschi, aut ambræ apponatur, fuerit iucundior. Magis autem efficax hæc habetur, quæ loco siliquarum fabarum immaturarum, accipit oroborum recens, & lupinos, & amigdales amaras, cuiusq. lib. 2. enici vnc. 3. nitri rubei unc. 4. limonum seu citriorũ incisorum, terebinthinæ, sing. lib. 2. commisceantur omnia, & uase diligenter clausa, uti superius dictũ est, in sole, uel fimo, ad octo dies macerentur, inde stillet oleum & aqua; neq. uero hæc solum colorẽ faciei conciliant, sed splendorem, & rugas prohibent. cum uero infinita propemodum in vulgatis libris habeantur, hæc satis fuerint à uiro doctissimo Montano, descripta.

HIERO-



HIERONYMI RVBEI RAVENN.

DE DESTILLATIONE.

Sectio Quarta.





EA eſt deſtillationis, & chemicæ artis quam Arabes, Alchymiam, & detracto articulo, chymiam, Græci ψημεῖαν, vocant, coniunctio, vt vna ex altera ortum duxiſſe videatur; & qui ad deſtillationem, metallorum præſertim, incumbit, is ſtatim ab omnibus ferè, chemicæ arti operam nauarę credatur; quamobrem nequaquam ab inſtituto meo abhorrere putaui, ſi cum de rei medicæ deſtillatione hactenus uerba fecerim, nonnulla adijciam, quæ ad chemiam pertinent, potiſſimum quod pietatis munus fore arbitrer, eos monere, qui magno diſpendio, & temporis, quod eſſet in meliores uſus diſtribuendum, & rei, qua familiam, & egentes alere deberent, huic uanitati, uano, & ridiculo exitu, inter fumum & carbones deſudant. Sic autem rem aggrediamur.

Plurimum

Chemici quid possint. Cap. I.

PRVRIMVM semper disputatum est, chemica ars, è qua pręclara multa prodijsse, negare nemo planè potest, an vera sit: cuius rei difficultas vel eò est aucta, quòd quotidie multos auri & diuitiarum cupidos oleum & operam perdere, vti diximus, videamus, magno ipsorum damno, & ingenti huius artis infamia, quę certè, si nulla alia de causa, ob multas tamen, quas diximus, res inuentas, summa laude digna esset. Egidius Romanus, vir doctissimus, summusq. Theologus, ex Eremitarum Augustinianorum familia, quæstiones 8. Quolibeti, falsam eam putat, quòd neget fieri arte aliqua aurum posse; ea adductus potissimum ratione, quòd natura determinatis, certisq. principijs progrediatur eoq. magis, quo res naturales perfectiores sunt. In his autem principijs, maximè numerat effectricem causam, materiam, & locum generationis: non enim equus nisi ab equo fit, & ex equæ menstruo sanguine, inque ipsius vtero. Quin ea etiam, quæ ex putredine gignuntur animalia, certam sibi materiã deposcunt, vti Auer. 12. Metaphysic. 18. ipsaq. experientia testantur; pleraq. etiam locum; non enim alibi quàm in vitis ventre fit vinum, cuius similẽ quidem potum multi facere possunt, id tamen vinum non esset. Ita ignis purus in sphera tantum ignis habetur; Quamobrem credendum esse ait, metallis, quæ in terra gignuntur, cum res sint perfectæ, cum locum ita à natura assignatum fuisse, vt extra ipsum fieri nullo modo possint; coloris quidem, & nonnullorum huiusmodi accidentium mutationem, sed non naturę, non formæ ac speciei fieri posse arte aliqua, concludit. Quod affirmat etiam auctor eius libri, qui Aristotelis secreta secretorum inscribitur. Nouissime quoq. Thomas Erastus medicus doctissimus, libro suo de metallis, multa adducit, vt idem probet; non enim (inquit ille) vna species in aliam eiusdem generis proximi, mutari, neque a natura, ueque ab arte potest; neque ars formam facit. Ceterùm vt quid nos sentiamus, in apertum prodeat, Erastum primò conuenientes, dicimus ea vera esse quę scribit, ab arte fieri formam non posse, si de sola arte intelligamus, non autem cum ars naturę nititur. Itaq. cum magis, & in materia, & in forma conueniant duæ species sub eodem genere proximo, quàm quæ sub diuersis

locantur,

locantur, cum has inuicem mutari non neget Erastus, cur illas negabit? Cum videamus lignum, cochleas, pelles, & huiusmodi in lapides a natura versas, etiam si in sua principia dissoluta non fuerint, vti Albertus Magnus, Georgius Agricola, Petrus Andræas Matthiolus, Gabriel Falloppius, qui de lapidibus, metallis, ac fossilibus egregiè scripserunt, & alij etiam fide dignissimi auctores tradidere, quid mirum si metallorum inuicem species, vel nulla in sua principia facta dissolutione, mutentur, quæ & imperfectæ sunt, & parum inter se distant? Iosephus lib. 2. de bello Iudaico, scribit, Arenam prope Belum amnem, duobus a Ptolomaide stadijs distantem, in rotunda valle, vim habere, in vitrum mutandi, quæ attigerit, metalla; gignendo enim vitro, litus illud tãtum fuisse per multa sæcula, auctor est Plinius lib. 36. Nonne etiam in stirpibus, quæ tamen uiuunt, vbi hæc est naturæ propinquitas, cõuersionem mutuam videmus? ita enim lolium, & triticum; hordeum, & ęgylops, se habent, teste Galeno, 1. de alimen. facult. cap. 37. vbi & patris sui exemplum adducit. Ozimi semen, si frequentius seratur, vt ait Martialis, modo in serpyllum, modo in sisymbrium degenerat: imo cum soli expositum est, transit in serpyllum, tametsi non omnino hac ratione speciem referat alienam, vt docet lib. 5. de plantarum causis Theophrastus, qui etiam asseuerat sisymbrium in mentham verti cum propinquam naturam habeant: Vt interim omittam, quod plerique scribunt, Ficedulam, & atricapillam mutuò commeare, vt quæ fuerit ficedula Autumno, vindemiarum calce in articapillam vertatur; sed quæ mutatio pulchriori à natura spectaculo, fit, quàm papilionum & bombycum? primo enim vermis gignitur; omne autem hoc vermiculi genus, vt ait lib. 3. de generat. animal. cap. 9. Aristoteles, vbi suę magnitudinis finem receperit, quasi ouum efficitur, indurescit enim putamen eorum: mox rupto putamine exit, velut ex ouo, animal, tertia perfectum generatione, idq pennatum magna ex parte. Ita bombyces cum oua æstate pariant, quæ in pãno ad ver vsq. seruantur, ex illis vermes generantur, mox bombyx, tandem necydalus. Sed satis hac de re cum Erasto disseruimus. ad Egidium veniamus, qui non uidetur probare, quod necessarius sit locus, terræ scilicet & montium viscera, gignendis arte metallis, qua tamen maximè de causa vrget ipse, & cum eo etiam Erastus: nam si apes, muscæ, ranę; nullum sibi certum locum postulant, verùm vbi materia apta est, ibi gignuntur, quid prohibebit
idem

idem in metalis fieri,quę sunt multò imperfectiora,& vi sentiente ac mouente carent? cur enim metalla locum sibi certum magis poscant, quàm animalia huiusmodi, vbi fuerit materia, & calor coquens,& frigiditas cogens? quod & videtur 4. Meteororum Aristoteles insinuare,cũ de elixatione loquens, nihil referre ait,an huiusmodi coctiones fiant in vasibus naturalibus,an in artificialibus,dum eadem adsit causa,verha hæc sunt Aristotelis. καὶ οὐδὲν διαφέρει ἐν ὀργάνοις, τεχνικοῖς ἢ φυσικοῖς ἐὰν γίγνηται. διὰ τὴν αὐτὴν γὰρ αἰτίαν πάντα ἔσται neque enim qui hæc verba conantur interpretari, aliquid afferunt,quod faciat contra nostram sententiam. Quoniam verò tota hæc res a doctissimis uiris prolixo sermone disputata est, Petro præsertim Bono, medico Ferrariensi, cuius multæ rationes videntur hactenus inconcussæ;non est quod aliorum dicta repetamus. Illud solum addiderim, quod licet magnus ille Philosophus Auerroes. primo de generat.animal.cap. 1. asserat, Archymistas,qui putant idem fieri posse ab arte,& natura,decipi,quod causæ artis & naturę sint diuersæ, quamobrem dicebat Erastus, non sequi,si quod natura faceret,idem facere artem posse, tamẽ cum tertium librum Arist.de Anima.c. 36.idem Auerroes interpretatur,ait,videri multas artes addisci,ac reperiri posse,cum tamen adhuc lateant,quod eorum ignorentur causæ,& ex his artibus, chemicam tantum numerat. Algazel quoque nequaquam minoris in philosophia nominis, ipso Auerroe, chemicam intentionem esse ait,mutare substantiam metallorum,vt ad auri & argenti puritatem perueniat,aut in aliqua specie apparentiæ:cui contradicens Auerroes disputatione priore physica,chemicam artem dicit eam esse,in qua dubium est an reperiatur; & si reperitur,impossibile est,vt quod in ea sit, sit ipsummet naturale; nam ars cum assimilari vult naturæ,deficit;nec verè ad eam peruenit; & si quicquam fecerit,quod natura factum sensui appareat,non est tamen nobis aliquid,quo affirmare cogamur, eam aut falsã, aut impossibilem. Veritatem docere diuturna experientia,temporisq. longitudo poterit. Hæc ibi Auer. cuius postrema verba indicant, non tanti esse rationes contra adductas, vt certo affirmet fieri non posse. Maximè autem possibilem esse, suadere nobis possunt, quę Aristoteles scribit. 7.Methaph. 29.cum ait, eorũ quæ arte fiunt,nonnullorum materiam, initium in se continere naturale,quo possunt per se moueri,ad finem,quem ars intendit, vt medicina,& agricultura,in quibus ars naturæ opitulatur;quo

rundam

rundam materiam huiusmodi carere principio, nec nisi arte moueri ad finem posse; alia solùm arte fieri, vt domus; Sed priora, vtroque, & natura scilicet & arte, vt sanitas. Hactenus Aristoteles. Non fuerit igitur mirum, idem aurum, argentumùe fieri natura, & arte, tametsi causæ sint diuersæ, si ab utroque eadem sanitas fit; neque dicta Aristotelis; quod ad rem hanc attinet, vllum inter accidentia & substantiam discrimen facere uidentur. Ad hęc accedit, fieri posse, vt causæ, quarum est diuersa species, idē tamen specie efficiant, vt motus, lumen, & ignis: quæ cum natura ac specie differant, ignem tamen gignunt, qui eiusdem est speciei. Item ignis idem specie, elicitur e rebus specie diuersis, nempe è lapidibus, lignis, multisq. præterea alijs; neque in huiusmodi quę sunt imperfecta, ea ratio valet, quæ in plantis & animalibus plurimum potest. Possunt itaq. chemici argentum viuū mutare, ceteraq. quæ ad id requiruntur, sic vt quæ diuersæ initio causę fortassis erant, vna tandem materia fiant; quemadmodum effici potest arte cinnabaris, quę etiam à natura conflatur; neq. impossibile vt gignantur scorpiones, huiusmodiq. animalia, arte, quæ & natura procreantur, & longè perfectiora sunt, quam metalla. licet autem Theophrastus, auctore Plinio lib. 33. cap. 17. nonagintos annos ante Praxibulum Atheniensium Magistrum, quod tempus exit, in vrbis Romæ 246. annum, tradat, inuentum Minium à Callia Atheniense; initio sperante, aurum posse excoqui arena rubente in metallis argenti; Aurum tamen ex auripigmento facere Caius princeps, teste eodem Plinio, lib. 36. cepit, verùm adeò modicum, vt detrimentum sentiret. Suidas quoque scribit, vt supra memorauimus, Dioclitianum Imperarorem libros ab antiquis conscriptos, περὶ χημείας ἀργυροῦ καὶ χρυσοῦ conquisitos exussisse, propter illa, quę aduersus eum Aegyptij innouarant, ne Aegyptij arte illa diuitias compararent, atq. opum abundantia freti, arma in Romanos mouere in posterum auderent. Ioannes quoque Fernelius Ambianus, Philosophia, ac Medicina clarissimus, altero de abditis rerum causis libro, aurum se fecisse arte testatur, modumq. resinuat. Sed cum duo sint, quæ potissimum in hac arte quæri consueuere, alterum, verane sit mutatio, fierique arte, ea, in metallis possit; alterum, an multiplici vi fieri; sic vt vnciam libram in aurum vertat, de hoc cum multa scribantur, nihil tamen adhuc comperti penes me est; præsertim cum vim vegetatricem in metallis inesse nequaquam compererim. Alterum est

verissimum,quod experientia optimè testatur,qua; vt nunc silen tio plura alia inuuluam;hydrargirum in argentum optimum, ar gentum autem in aurum verti perspexi;ea autem sic fuit. Confra cti cinnabaris,quod ex hydrargiro & sulphure , ignis vi in sublime elato,conficitur;partes tesserarum magnitudine, elimato ar gento, oui adiecto candido , vt adhærerent , inuolutę , & in vas coniectæ fuerunt, quod igni moderato resisteret ; vas illud optimè contectum,ac luto munitum,molli pruna,sub cineribus, ad horas duodecim,decoctũ est;Inde reclusum; tuncq. argenti puluis,nigrior,ob sulphur,factus,e tesseris detersus,& seruatus: Tesseræ ad examen argenti adhibitæ, cupellam vocant , argentum optimum reddiderunt. Quoniam autem puluis ater argenteus difficile igni liquatur , quòd ferè vim omnem exhalauit , remedio quodam, facilè eliquatum est , & in separationis aquam demersum,auri non minimam partem demisit. Neque verò dicen dum est,quod plerique affirmant,idcirco ex argento aurum col ligi,quòd in eo auri semina quędam contineantur ; nam totum ipsum argentum,tandem, si rem repetere rectè noris , in aurum vertetur.Sunt qui,vt minori dispendio rem conficiant,partes illas cinnabaris , antea quam puluere ex argento inspergant, in acerrimo lixiuio,aut certis oleis ebulliant ; sunt & qui æs apponant,varioq.vtantur artificio,de quo nostri instituti non est, plu ra scribere . Illud tantum addiderim , nequaquam ob id veram esse Fracastorij sententiam,qui libro de sympathia cap. 11.scripsit , si cum metallorum scobe misceatur argentum viuum , attrahere ex ipsa , & ex ea commixtione consistentiam acquirere : quod plerosq. inquit, fallit,putantes per eam viam posse argentum conflare,nescientes non veram mixtionem , sed apparentẽ fieri per iuxtapositionem quorundam constitutam , quæ facilime solui possint , & separari . Ipsa enim experientia oppositum docet, etinnuit Angelicus Doctor D.Thomas,cum in fine tertij Meteororum,ita scribit. Considerandum est autem circa princi pia materialia metallorum,quòd sunt in duplici differentia:quę dam enim sunt materia remota talium metallicorum , sicut est vapor inclusus in locis lapidosis terræ, sicut supra declaratũ est ; alia autem sunt materia propinqua eorum,& hęc sunt sulpbur & argentum viuum, sicut Alchimistæ dicunt,ita quod in prædictis locis lapidosis terræ,per virtutem mineralium primo generatur sulphur,& argentum viuum, deinde ex ipsis generantur diuersa

metalla

metalla, secundum diuersam commixtionem eorum. Vnde etiã ipsi Alchimistæ per ueram artem Alchimiæ, sed tamen difficilẽ, propter occultas operationes virtutis cælestis, quæ mineralis dicitur, quę ex eo quod sunt ocultæ, difficulter a nobis imitari possunt, per prædicta principia, vel principiata ab ipsis, faciunt aliquando veram generationem metallorum, aliquando quidẽ ex sulphure, & argento prædictis sine generatione exhalationis, aliquando autem faciendo exsudare prædictam exhalationem vaporosam ab aliquibus corporibus per applicationem caliditatis proportionatæ, quæ est agens naturale. Hæc ille: quod quo modo accidat, fortasse alias dicemus.

Chemicorum errores. Cap. II.



QVAMQVAM autem verissima est hæc ars, eo quo memorauimus; modo, desistendum tamen ab ea videtur quòd in perscrutandis huiusmodi mirandis sanè naturæ mutationibus arte comparatis, multa dispendia incurrant, ij potissimum, qui lucri auidiores, leui opere, maximas opes adipisci quærunt, & licet semel atque iterum frustra laborauerint, nihilo tamen minus obstinati, eam in se mutationem ac μεταμόρφωσιν experiuntur, quam in metallis non efficiunt, dum è diuitibus pauperes, pertinaciæ suæ ingentes pœnas dantes, euadunt, & vt rectè Demetrius Phalereus asserit, quod capiendum illis erat, minimè ceperunt; amiserunt, ꝙ possidebant: libris assiduè studẽt recettarum, vt aiunt, plenis, camq. è multis seligũt, quam vetustissimo aliquo libro, Gręcè, aut Hebraicè, vel occultis notis, scripram animaduertunt, quasi aut externæ litterę, aut dinturnitas temporis, non ratio, adferre illi veritatem possit. Hãc autem vbi falsam euentus probauerit, ad aliam feruntur, longe à veritate remotiorem; atque vbi hac etiam se delusos sentiunt, falsa adhuc spe illecti, nouisq. in dies & falsis operibus magis addicti, in miserabilem egestatem incurrunt. Illud autem ridiculum ne an miserabile dixerim, nescio, cũ videas quosdam pannosos, & planè mendicos, polliceri hac arte orbem aureum, Cresique ac Luculli opes; quodq. admirabilius est, eorum pollicitationes apud plerosq. prudentissimos alioqui viros, locum inuenire.

Sunt igitur, qui argentum viuum, Mercurium ab ipſis, & quidem non immeritò, vocatum, miris, vti diximus, torquent modis, vt cogant; nam alij herbarum ſuccis id factum teſtantur, gũmi deinde, & rebus, quas etiam ignis abſumit, in argentum optimum verſum. Pleriq. ſolis herbarum ſuccis fieri id poſſe contendunt, eaſq. reperire herbas magnopere ſtudent, lunariam præſertim maiorem, cum quę lunaria ſit, de qua Philoſophi loquuntur ignorent. Alij ſolis gummis, quidam aquis acerrimis; nonnulli ſalibus, atq. etiam communi, paratis ſuo modo, aliqui oleandrũ, quod eſt Græcis νήριον, & ῥοδοδάφνη, huic maximè rei aptum prædicant; cicutam alij, quidam napellum efferunt; nec deſunt, qui Bufonis puluere vtantur; pleriq. ſtudent vt hydrargirum ipſum bufo ebibat, quem deinde bufonem exurunt, vt è Mercurio, Lunam, id autem eſt argentum optimum reddant: multaq. quotidie huiuſmodi, nulla ratione adducti experiuntur. neque enim ſolo argento viuo metallum conſtat, vel ipſis teſtibus qui argentum viuum materiam metallorum faciunt, in quibus eſt Angelico Doctor ingenio, Diuus Thomas, in tertium Meteororum præclarè, ut omnia, ſcribens; ſulphur enim neceſſario adhibetur. Cogi quidem ijs medicamentis, vt ne fluat, non negauerim; in argentum verò mutari poſſe, nequaquam arbitror. Quòd ſi nonnulli ſcribant, argento viuo ſulphur contineri, quo verti in argẽtum queat, id de quibuſdam calidiſſimis partibus vti ſupra diximus, verum eſt; de proprio ſulphure, non eſt verum. Vir tamen fuit ſanè probus atque honeſtus, qui cum totam ferè ætatem mẽdacijs huiuſmodi conſumpſiſſet, ſanctè affirmauit, ſe argentum viuum ſemel in argentum optimum quibuſdam gummis, vertiſſe; verùm cum idem ſępius deinde magno ſtudio tentaſſet, efficere nunquam potuiſſe. itaq. vel in Mercurio illo inerat argentũ, quod vi ignis coactum fuit, aut illud cacodæmones in vas iniecere, vt illis mendacijs vitam miſerè traduceret, neque aliter vnquam veritatem perueſtigare tentaret, vti euenit, nam illis addictus totus, obijt, & profectò ſi natura id contigiſſet, perpetuo id fuiſſet conſecutus. Oleum pleriq. è ſtibio, cucurbita curua eliciunt, addita ad partes duas ſtibij, vna argenti viui, cum ſale tantùm, et chalcantho in ſublime elati: manat, veluti ſubatra pinguedo, oleum, cuius pars ſexta ad aquam adiungitur ſtillatitiam è ſublimati argenti viui duabus partibus, & vna ſtibij, repetita ſexio deſtillatione: in huius aquæ dimidia parte ſeorſum aurũ, in

altera

altera argentum, ore vasis patente, soluunt. Ad ignem lucernæ per duos menses in puluerem, hæc argenteum, illa rubrum concrescit, cuius partem, multas argenti viui partes, in metallum quæq. suum conuertere fabulantur: non minore errore atq. illi, qui simul commiscent argenti optimi vnciam, cum duabus argenti viui ex argento educti: Vas vitreum in furno per duos mẽses ad ignem adhibetur, aucto septimo quoq. die igne, dum in seipsa res præceps agatur, ad cuius vncias quatuor, argenti optimi vna, viui quinq. adduntur, & per mensem verti omnia in argentum dicunt, mineramque appellant; e qua pars ad vsum detrahitur, additurq. denuo idem hydrargiri, & argenti optimi põdus, idque perpetuo fructu.

Arbitrantur alij, corpora metallorum, quæ ab auri præstantia absunt, perfecta fieri posse solis vstionibus, calcinationibus uocatis, sæpe repetitis, si tamen semper in corpus redigãtur. Pleriq. Venerem, ita enim ęs appellant, cum spiritu stamni, cui Iouis nomen imposuere, duodecim horarum spatio, si ui ignis eliquata perstent, in optimum argentum verti affirmant. Arsenico alij & auripigmento vulgaribus ignis vi in sublime sæpius elatis, asserunt id fieri, addito tamen Mercurio sublimato, & Luna. Quidam vna sola re fieri tradunt; res ipsas alij in sublime elatas, conantur, adiecta Lnna, in aquas perspicuas soluere, & demum cogere; idque repetunt, dum velut cera, temperato liquescant igni: si enim in æs fusũ, huius medicinæ parum conijciatur, lunam fieri optimam affirmant. Miscent alij cũ elimata Lunæ scobe, Mercurium sublimatum, totiesque in sublime vi ignis efferunt, dum optimè mixta, in igne simul perdurent, & molli liquescant pruna; sunt qui eadem humido loco, ut in aquam abeant, ponunt, mox cogunt; idque sæpe repetunt; esse enim optimum medicamentum aiunt, vt in argentum æs vertatur. Tormentis etiam nequaquam minoribus alia metalla excruciant; nam de saturno, quo nomine appellant plumbum, plurima tradunt; putant nonnulli saturnum, Iouem, aut cerussam aceto stillatitio dissoluta, & linteis excolata linguis, & in corpus redacta, cum fermento auri aut argenti, ad metallorum perfectorum naturam adduci posse; cum tamen quid fermentum huiusmodi sit ignorent, quãtæque sint huius fermenti vires: præterquam quod nulla harum præparationum potest tantum perfectionis inducere in imperfecta metalla, quantum pollicentur: densitatem quandam & põ-

dus

iisdem muriam affundunt, mox eandem educunt, & salsedinem aqua dulci tollunt, dein in crucibulo puluerem, postea argentum, tandem aurum sternunt, contegunt, ignemque adhibent per aliquot horas, tandem eliquant, aurumq. omnia fieri mentiuntur. Plerique argentum optimum, & æs nouum simul eliquant ac miscent, in virgasq. diducunt, quas in sulphur fusum immittunt, deinde iniiciunt in carbores ignitos, dum sulphur vratur, id repetentes, vsque dum virgæ in squammas habeant. Tum adhibent ad examen argenti: quam cupellam vocant, & licet aliquanto minor ea massa remaneat, quam fuerat argentum; tamen in virgas diducunt, & lateribus crudis includunt, sale vndique inuolutas, è quibus in laterum fornace coctis, & ad aquã separationis adhibitis, vncia auri drachmam reddit. sed si subducant isti rationes, noscent quantum sentiant detrimenti preterquam quod æs nouum, aurum aliquando continet, vti etiam Chalcanthum Cyprium, & argentum Hispanum.

Qui vero magis putantur hac in re sapere, ij peruulgato illo, multisque decantato philosophorum lapide, fieri tantum hæc posse asserunt, & quidem fortasse verè, sed lapidem ipsum conficere alij qnærunt è salibus, aluminibus, chalcãthis; alij ex puerorum lotio, aut iuuenum, ex oleo è stercore humano: plerique ex bile, aut pituita, sunt qui plantas ad id deligant, animalia, oua, lac, atque ipsum etiam humanum semen, tantum potest auri fames. Nec desunt qui membranam illam humani fœtus, quam vulgo appellant secundinam, medici plerique χόριον vocant; quã uis aliquibus chorium nihil aliud sit, quam vasorum vmbilicalium ramificatio, & contextus; laudent, cum tamen ignorent quæ secundæ sint, de quibus chemici meminerint. Conflare quidam lapidem illum ex solo Mercurio miris modis agitato frustra tentant; nonnulli e solo sulphure vulgari ui ignis in sublime sæpius elato, & deorsum tandem fixo, magnumque hoc sulphure concludi arcanum asserunt; cum tamen non iutelligãt de quo sulphure tot scribant doctiores Chemici, cum partũ terræ illud vocent, & è metallis magno, eruditoque artificio extrahant. E plumbo alij, aut è stanno atque etiam è ferri spuma, & recremento, alij è pyrite lapide, conficere lapidem hunc studẽt, cum nesciant; si de lapide philosophorum quæ scribuntur vera sunt; ex auro solo id semen, quod lapidem vocamus, elici posse, ut vir doctissimus Fernelius scribit; Cum enim (inquit) maxima

xima vix seminis in oleo quodam inhærescat, id quidem in ceteris metalllis inflammari, cremarique igne solet, in auro autem non potest; qua de causa id nullius ignis ardore torreri, absumiue potest, & omnem artis vim tolerat. Quamobrem constare etiam satis arbitror, eos falli, qui lapidem hunc, seu, ut Arabes vocant, elixir, è sulphure cum Mercurio vulgari coniuncto, cõflare student, ea permiscentes ac coquentes, cinnabarimq. facientes: vel sulphuris ipsius parati virtute, Mercurium cogentes: nam in principijs falluntur, si quidem vt ille inquit satis eruditus poeta.

Hordea cui cordi, dem um serit hordea, ne tu
Nunc aliunde pares auri primordia; in auro
Semina sunt auri.

Aquam alij ponderosam quærunt, & ex chalcantho vi maxima ignis eliciunt, sæpiusque repetunt, sudantq. vt chalcanthum optimum habeaut, præsertim cyprium, aut quod in æris fodinis reperitur; neque ex alio lapidem philosophorum fieri posse affirmant, ea sententia decepti, quòd qui sapientiores huius artis scriptores habentur, asserant, aquam è qua lapis gignitur, ponderosam esse, sic vt alias pondere superet, cum tamen aliam aquã intelligant, quam ignis non absumit. Idem de ijs dixerim, qui eundem conficere è stibio, aceto dissoluto, aut eius oleo putãt, quod semina in ijs auri non insint, neq. vllius perfecti metalli.

Non minori in errore versantur, qui μάλαγμα, amalgamam dicunt,, ex argento, aut auro, cum Mercurio vulgari, componunt, fieriq. lapidem sic posse affirmant, cum fieri non possit, vt hac ratione, vel in sua redigantur principia, vel semen ex ipsis eliciatur. Tria illa plerique seorsum in aqua accerrima, suo modo, cõposita, dissoluunt, inde eas aquas quæ diuersis nitent coloribus, simul iungunt, in cucurbita ponunt, & aquam inde eliciunt; refunduntq. aquam toties, & detrahunt, dũm in oleũ metalla vertantur. Vnde fieri Philosophorum lapidem dubio procul affirmant. Sunt & qui cum audierint eorum Philosophos asserere, è tribus lapidem constitui, corpore, anima & spiritu; loco animæ, aurum, argentumùe accipiunt; spiritum dicunt Mercurium vulgarem esse; salia autem quædam vna cum caphura, corpus putãt. Et primò quidem, vulgaris Mercurij ope, in calcem redigunt aurum,

rum,& argentum, aut cum sale, vi ignis multorum dierum spatio; inde abluunt aqua dulci, magno mox labore, ac temporis diuturnitate, aceto stillatitio dissoluere tentãt, putantes animã ex ipsis corporibus ita elici; quandamque tenuem substantiam, crystalli specie, seosum diligenter seruant. Mercurij vero aquã, uti prima Sectio ne diximus,efficiunt, eamque pro spiritu reponunt.Salia autem,& caphuram,aceto stillatitio dissoluunt, præparant, redduntque puriora. Tria hæc tandem miscent certis ponderibus, optimeque in porphyrite lapide trita, ui ignis, vitreaque cucurbita, in sublime agunt; quodque iu fundo remanet, cum eo miscentes, quod euolauit, sępius id repetunt,noua semper affusa Mercurij aqua. Humido dein loco posita, liquescunt,inde coguntur: hoc iterantes opus,dum libuerit, hunceque lapidem philosophorum esse mentiuntur. Quid de his dixerim qui chalcanthi, & salis nitri fumos, vi ignis, primo moderati; mox acerrimi,in Mercurium affundunt, locatum in vase quod recipit;Sic.n. Mercurius in orbem actus, lactis speciem refert; abluunt postea aqua communi, quam mox tepente balneo detrahunt, appellantque lac virginis,de quo philosophos locutos asserunt, in eoque aurum aut argentum, ut lapidem album rubrumuè conflare, est animus, ponunt; ipsamque optimè clausã cucurbitam fimo obruunt ad multos dies, dum soluatur metallum; tunc enim alio in vase, igne adhibito, materiam ipsam in sublime agunt, id repetentes, donec non possit in sublime amplius efferri; hunceque lapidem esse a philosophis quæsitum, nugantur. Complures faciendum malagma; ex luna, & mercurio ad album dicunt, ex Sole, & Mercurio ad rubrum; optimeque mixta, uase vitreo, luto incrustato, cuius sit collum breue,appositoque rostrato pileo, vehentissimo igne seiungere a corpore Mercurium quęrunt; sint autem rimę optime stipatæ, & vas ad summum collum cineribus contectum, oportet. Separatũ Mercurium, rursus coniungunt, inde separant, dum non amplius separetur,seu destillet, at cum corpore figatur. lapillis nonnulli ex auro aut argento, aceto stillatitio, aquisue suis, dissoluto, conflant: aquas alij acutas illas sępius refundunt, miscent, cogunt, putantque lapidem philosophorum inuenisse; Qui quidem falluntur omnes, & cum plura sint, quę eos latent, tribus maximè decipiũtur; nam cum aurum atque argentum reddere pulchriora, nobilioraque debuissent, contra faciunt, conspurcant enim

Z illis

illis adiectis rebus. Huc accedit non adduci ea metalla hoc pacto in eorum primam materiam generi metallico proximam, neque ex illis femem educi, quod tertium est.

Qui vero ex omnibus rebus fieri lapidem hunc affirmant, tametsi ex vna quam alia facilius, educereque elementa, destillatione, ab ea putant oportere, reddereque seorsum singula puriora, ac tandem coniungere, eam videntur nouare opinionē, qua afferitur, quodlibet ex quolibet fieri, præterquam quod separata eorum elementa ignis absumeret, remaneretque cinis nequaquam fluens. Adde lapidem illum, cum ex alijs, quàm auro, & argento, ab ipsis eliciatur, non posse auri, & argenti naturam ac formam, neque induere, neque inducere. Quod si cæmici ex omni re lapidem suum confici posse tradiderunt, elementa intellexere, remota omnium rerum, quæ generantur, ac intereunt, principia; hincque est quod eorum quidam scribit, inueniri in omnibus hominibus lapidem, à quo si abstraheretur, interiret.

Sunt alij, qui se maiori ingenio putantes, certo affirmant, si Mercurius è corporibus perfectis, argento, & auro, extraheretur, fieri ex ipso lapidem posse, neque aliam ad hunc lapidem viam patere, cum id sit in proximam materiam metalla adducere. Id autem facere quidam nituntur aquis suis, metalli substātiam non corrumpentibus, plerique oleo è tartaro arte elaborato, quidam sale ammoniaco, ac Mercurio sublimato, simul ad ignem fusis, si in ea metallum elimatum proijciatur, aquis alij acerrimis, ex cinnabari, chalcantho, salnitro, atque huiusmodi destillatis, in quibus Mercurius sublimatus sit dissolutus. Qui quidem; si ijs qui hac de re accuratius videntur scripsisse, credimus; proprius accedunt ad veritatem, quid tamen faciant, non satis assequuntur. Est enim, & non est argentum viuum metallorum principium; quod quidem sit, vel ex eo conijcio, quod dictum est, ex cinnabari factitio, argentum optimum confici, neque enim dubitandum de hoc fuerit, cum omnibus perstet argenti examinibus omnibusque eius qualitatibus sit prēditum; videmus etiam metalla in argentum viuum conuerti, quod & docet experientia, & de auro, Erastus qui id negat, concedit, cum illud sibi ostenderit Petrus Stahelin, Fiderici Marchionis Brandeburg. Medicus; Quis enim negaret esse illud argentum viuum, cum fluat, omniaque præseferat, quę vulgare hydrargirum?

rum? Quamquam enim quę perfecta mixta sunt, ut animantia, in sua dissolui principia nequeant, ob multiplicem, validamque mixtionē, id tamen imperfectis, quæ parū ab elemētis absint, & sola fere concretione constant, nō erit perpetuo impossibile.

Quòd si qui negant, esse argentum viuum metallarum materiam, ob eam causam, quia metalla sint aquea, argentum autem uiuum, æreum, cuius est argumentum, quia facile euolet in auras, & liquidorum nulli misceatur, vt oleum, ij non animaduertunt, quod diximus, dissimilaribus argentum viuum partibus constare, neq. solum aereis, sed etiam igneis, & terreis, quemadmodum & oleum. Sed hoc si ita est, cur cum ceteris oleum superstet liquoribus; argentum viuum in fundum demergitur: aut cur cum in auras abeat argentum viuum, oleum nihil exhalet, vel ipso teste, vti diximus, Aristotele? quo etiam teste aereū est, & propter hanc causam, aquæ innatat. An forte, quia argentum viuum totum exhalat, idcirco totum esse aereum dicemus? minimè verò, quia etiam si aurum, aut argentum cum illo misceantur, adhibeaturq. ad ignem, tota euolabit in auras massa, neq. tamen negauerit quisquam, ipsa metalla esse aquea, & terrea. Qui verò existimant hydrargirum & sulphur, ceu pili, folia cortices, aliæq. sordes ex arboribus atq. animalibus, ita ex metallis, ijsq. impuris, & maximè sordidis, tamquam recrementa, ac nouam quandam sobolem redundare, ij mea sententia falluntur: neq. n. noui quomodo possunt argentum viuum & sulphur excrementa metallorum dici, quando ex argento viuo metalla arte conficiantur, quod exemplo cinnabaris docui. Argentum viuum ex folia nouam metallorum & arborum sobolem fortasse dixerim, recrementa & sordes, quæ isti cum sobole confundunt, non dixerim. Eiusdem sunt naturæ folia, cuius arbores, sic vt ex ipsis, vt in opuntia, nonnullæ prodeant. Fateor quidem, certos halitus, vt ait 4. Meteo. Arist. esse materiam propinquam metallorum, dum frigiditate loci coguntur, sed neq. etiam negauerim, eosdem halitus potuisse in argentum viuum, nunc purius, nunc impurius, vt eorum tulisset origo, conuerti, nisi loci frigiditas, aut siccitas anteuertisset; quod insinuare ibidem Aristot. videtur, exemplo roris, & pruinæ; nam halitus è quibus ipsa gignūtur, fuissent aqua, nisi præoccupasset frigiditas, & in pruinam vertisset; quamobrem dum pruina, atq. etiam nix in aquam dissoluuntur, dici possunt versa in suam primam materiam, quo-

niam vapores illi, è quibus sunt genita, fuerunt quidem, Arist. docente, vt aqua, fuerunt autem vt non: neq. profecto norim, quo modo cum argentum ex argento viuo conficiatur, & in argentum viuum vertatur, negare possim, ex argento viuo constare, aut ex halitu, qui potentia proxima argentum viuum sit; Fortassisq. facilius potest ars ex argento viuo metalla conficere, quàm natura, cum ars sicciora, quibus hydrargyrum exiccet, & cogat, cogitur.n. & exiccatur arte, vti diximus; apponat quàm natura, vbi vapores in argentum viuum conuertit, & hæc forsan causa est, cur in fodinis, nunquam reperitur argētum viuum aut totū, aut dimidio conuersum in metallum. Hæc autē coniectura mea, eo magis firmari forsan potest, quia Plumbago, μολύβδαινα Græcis dicta, liquidam aliquando sulphur exsudat, & argentum viuum destillat, neq. tamen ob id sentio, solo hydrargyro metalla fieri. Noui senem, qui cum vrinæ stillatitiæ fœcibus, argentum viuum sublimatū, sal vrinæ, ipsamq. stillatitiam vrinam, miscebat, destillabatq. tertio, & quarto affundens destillatam aquam fœcibus; postremo stipato diligenter uase, molli igni apponebat, ut triū mensium spatio figeretur materia. cui fixę, & fluenti, addebat aurum, trigintaq. diebus, lento igne, fermentabat, pauco salis addito. Ceterum, quo modo hæc, quæ partim ab igne, euolāt, partim in eo uruntur, possint aurum, quod in igne illæsum permanet, conflare non uideo; quod uel ex eo potest colligi, quoniam senex ille inani hac spe deceptus, omnem ætatem inops confecit.

Cœterum quid de ijs dixerim, qui puriorem auri partem extrahere conantur, crassiore, impurioreq. abiecta? sic ut duæ, aut tres ad summum unciæ ex libra habeantur, Mercuriumq. uulgarem suis paratum modis, cum auro coniungunt, ut puriores partes illas secernant. Hac ratione fecisse putant, Siculum quendam proximè superioribus annis, Romæ, qui coram uiris principibus aliquot, proiecta pila parua, quæ uix scrupulum pēderet, in Mercurij ad ignem iam feruentis uncias duas, totum in aurum, optimum uertit. Fuit enim eorum, qui hac in arte plurimum operæ posuerunt, sententia, esse illud semen auri, ex duabus auri uncijs detractum, sic ut tantum Mercurij in aurum uerteret, quantum fuerat aurum, a quo illud detraxerat. Sed qua ratione id fieri possit, satis difficile uidetur cognitu; nam in auro, ob perfectam coctionē, mixtionemq. partium exactā, nulla pars est alia purior, ex omnium philosophorum sententia; quamobrem igni, & cuiuis

uis examini adhibitum, nihil minuitur; neq. Mercurio solo ea uis inest, ut eo puritatis aurum adducat, semenq. extrahat.

Haud dissimili ferè mendacio, sub idem tempus, nempe quinto ab hinc anno, aurum quidam facere profitebatur, ex ęre usto, Ferrettum vocant; Primo aũt auro in calcẽ, sale cõi, redacto, affundebatur acris aqua è chalcantho, salnitro, & alumine rupeo, mox ammoniaco sale, in sublime acto, atq. item communi, adiectis, acriore reddita; detrahebatur postea destillatione ex auro hæc aqua; & aurum, quod in fundo vasis remanebat, bis aceto stillatitio, totidemq. stillatitia communi aqua eluebatur, his perpetuo liquoribus destillatione deinde ex auro deductis, Auro sic parato imponebatur aqua ardens, quæ tutiæ primo; siue cadmia ea fuerit, siue popholix; mox hydrargyri sublimati, vim, eleganti sanè artificio, combiberat: eadem deinceps aqua destillatione, detrahebatur, hoc ter ordine repetito: seruabaturq. ita paratum aurum, loco sicco. Ferrettum sæpius aceto stillatitio ablutum, eadem ardente aqua affundebãtur, quam ex auro deduxerant, bis id repetentes. mox dissoluebatur aurum, aqua acri superius dicta, eademq. Ferrettum, simul; detrahebaturque ex illis destillatione aqua, iterum ac tertio affusionem, detractionemque hanc repetentes; siccatis, oleum è tartaro ter, quaterue infundebatur, & siccabatur; adiectaq. tãdem chrysocolla factitia, in quadrupulum auri, ad ignem eliquati, hic ex auro & ferretto puluis proiiciebatur, fiebatq. totum aurum. Hoc autem artificium, penes Principes aliquot Italos fidem inuenerat, cum tamen non tãta sit corporum dissolutio ac depuratio, ut æs in aurum conuerti possit; Mixtio quidem certè exactissima, & ferè perminima est, quæ dedit mendacio locum, non est autem formæ mutatio; quod & experientia verum deinde docuit. Atq. hęc pauca de innumeris sat fuerit dixisse.

F I N I S.







